DE EXEMPLIS ATQUE COMPARATIONIBUS QUAE EXSTANT APUD SENECAM LUCANUM VALERIUM FLACCUM STATIUM SILIUM ITALICUM

DISSERTATIO INAUGURALIS
PHILOLOGICA

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI
PHILOSOPHORUM ORDINIS

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

IN UNIVERSITATE FRIDERICA GUILELMA SILESIACA

RITE IMPETRANDOS UNA CUM THESIBUS

DIE VII MENSIS FEBRUARII ANNI MCMXIII HORA XII
ET DIMIDIA

IN AULA MUSICA PUBLICE DEFENDET

FRIDERICUS STREICH
SILESIUS

ADVERSARII ERUNT:
B. JAEKEL, CAND. PHIL.
A. KIOCK, CAND. PHIL.

VRATISLAVIAE
TYPIS OFFICINAE A. FAVORKE
MCMXIII.

Latin SATHER

De dissertatione probanda ad ordinem rettulit
Franciscus Skutsch

Examen rigorosum habitum est die XII mensis Iunii anni MCMXII

MANIBUS

FRANCISCI SKUTSCH

SACRUM

De exemplis comparationibusque poetarum Romanorum, qui imperatoris Augusti necnon posteriorum aetate florebant, quamvis multi iam scripserint, tamen in singulorum tantum poëtarum exemplis afferendis diiudicandisve versati sunt omnes [1]. Sed alterum quod expetendum mihi videtur hoc est, ut collectis omnium qui ludo rhetorico usi sunt exemplis pateat, quae ipsius huius ludi usibus debeantur. Nam ita et perspicietur, qualia fere rhetores in usum discipulorum congesserint et quid singuli e thesauro congesto deprompserint. Qua in re sane dubitatio quaedam subnasci potest, quia quod duo pluresve commune habent exemplum etiam alter ab altero mutuatus esse potest. Restabit tamen satis magnus numerus comparationum a diversis scriptoribus adhibitarum quem a rhetorum disciplina tamquam e fonte provenientem ad plures propagatum esse probabile fiet. Qua in re perquirenda non id egi ut tentarem quod complurium denique opera coniuncta fieri poterit (imprimis si et solutae orationis scriptores et Graeci ut par est adhibebuntur) scilicet ut thesaurum totum harum comparationum et conquirerem et proponerem. Volui tamen rem ita incohare, ut indicem saltem comparationum apud poetas saec. I p. Chr. n. conficerem atque ita iis viam munirem, qui ad illum quem supra significavi finem maiore nisu pergent. Sunt autem poetae quorum comparationes congessi hi: Seneca, Lucanus, Valerius Flaccus, Statius, Silius Italicus. Adii etiam Apollonium Rhodium, ut quid ex eo Valerius Flaccus hauserit a reliqua comparationum copia distinguere possem.

Materiam autem ita tractavi: capite primo agemus de deis, heroibus, aetate heroica. In qua re mirum est perraro deos his contineri exemplis: inveni quinque ad Apollinem, quattuor ad

[1]) Eppelin „Über die Vergleichungen bei Vergil" Lahr 1862; Krause ‚de Papinii Statii compp. epicis' diss. inaug. Halis Sax.; Bussenius ‚de Val. Flacci in adhibendis compp. usu' diss. inaug. Ien. 1872; Barchfeld ‚de comparationum usu apud Sil. Italicum' diss. inaug. Gott. 1880.

Bacchum, sex ad Iovem, novem ad Martem, duo ad Mercurium, quattuor ad Neptunum, unum ad Plutonem, tria ad Vulcanum pertinentia; dearum quidem in exemplis mentio non fit nisi Dianae, Iunonis, Proserpinae. Plura sunt sumpta de heroibus aetateque heroica exempla, imprimis de Hercule, a quo virtutis ac roboris petuntur persaepe exempla.

Secundo capite exempla e veterum rebus gestis deprompta continentur; atque pauca tantum e rebus a Romanis gestis hausta apparebit. Ex rebus a Graecis gestis exempla non exstant nisi ludorum Olympiorum Isthmiorumve, a Persis Lydisque Cyri, Xerxis, Croesi.

Tertio capite, quo agemus de exemplis ex natura rerum petitis, praeter montes, insulas celebres, freta primum locum obtinet id genus animantium, quod lacte nutrit quos peperit: taurus, leo, tigris; minus frequenter occurrunt exempla ab avibus petita, plurima autem exstant arborum herbarumque, ventorum, rerum maritimarum, siderum, imbris nivisque. E numero exemplorum quae huic vel illi capiti inseri nequeunt, mentio fiat telorum, quae persaepe exempli instar usurpantur. Usus apud singulos poetas exemplorum hic est:

versus	exempla	in centum versibus
Stati Silvarum 4003	126	3,15
Thebaidis 9742	57	0,58
Achilleidis 1125	2	0,18
Lucani 8000	80	1
Sili 12202	119	0,97
Valeri 5592	79	1,41
Senecae 10674	85	0,7

Heroum eorumque aetatis exempla, cum in Thebaide inveniantur perpauca, in Silvis sunt centum et tria. Scilicet consentaneum est poetam Silvarum, ut quae sint lyrici generis atque insignes varietate materiae, artificio exemplorum crebrius uti quam poetam carminis epici. Accedit, quod poeta ut, cum suae aetatis res tractaret, acti temporis exempla persaepe laudare potuit, ita iis exemplis abstinere debuit in describendis rebus heroicis.

Haud paucae in re tractanda occurrent similitudines inter poetas quos adhibebimus; imprimis hi omnes excepto Flacco mire cum Senecae locis congruunt, cuius imitationis causas cum quaerimus, reperimus tres: aut similitudines usu exercitationum rhetoricarum ortae sunt, aut communi ex fonte fluxerunt, aut non pauci loci summorum poetarum, ut Senecae, ab aliis poetis assumpti sunt, quod illa aetate in omnium ore versabantur.

Denique ne intactum quid relinquamus, id addo me angustam illam grammaticorum interpretationem ‚exempli' vocis non sequi, sed omnes versus, quibus inest aliqua comparatio recondita scilicet persaepe atque occulta, tractare[1]).

[1]) Grammatici veteres quae de ‚exemplo' senserint, collegit Volkmannus „die Rhetorik der Griechen und Römer" p. 185 ed. II.

In opusculo conscribendo his libris usus sum: Hosius ‚Lucan und Seneca' Fleckeisens Jhrb. 145; Hosius ‚Lucan und seine Quellen' Rh. M. 48; Hosius ‚de imitatione scriptorum Romanorum imprimis Lucani' Gryph. 1907; Vollmer ‚Statius Silven' Lips. 1898; Luehr ‚de P. Papinio Statio in silvis priorum poetarum imitatore' Regim. 1880; Deipser ‚de Statio Vergilii et Ovidii imitatore' Arg. 1881 et diss. philol. Argentoratens. vol. V; Eissfeldt ‚Über Quellen und Vorbilder des Statius' Helmstedt 1900 et ‚zu den Vorbildern des Statius' Philol. N. F. 17; Groesst ‚quatenus Silius a Vergilio pendere videatur' Hal. 1887; Wezel ‚de Sili Italici cum fontibus tum exemplis' Lips. 1873; Greiff ‚de Valerii Argonauticis cum Aeneide comparatis' Trident. 1869; Grueneberg ‚de Valerio Flacco imitatore' Berol. 1893; Harmand ‚de Valerio Flacco Apollonii Rhodii imitatore, Nancy 1898. Langen ‚Val. Flaccus' Berl. Stud. f. kl. Phil. N. F. 1, 1897; Spika ‚de imitatione Horatii in Senecae canticis' Vindob. 1890.

Caput I

Exempla et comparationes, quae pertinent
a) ad deos et deas,
b) ad heroes et heroides,
c) ad tempora heroica.

a) Apollo.

Pulchritudo Hippolyti celebratur
Sen. Phaed. 800

Phoebo colla licet splendida compares;

Apollo infans ita ludit ut Opheltes (cf. Mercurius, Mars)
Stat. Theb. IV. 801—803

sic tener Odrysia Mavors nive, sic puer ales
vertice Maenalio, talis per litora reptans
improbus Ortygiae latus inclinabat Apollo;

vires Herculis ab Apolline ipso non aequantur
Val. Flacc. Arg. II 492

nec tales umeros pharetramque gerebat Apollo;

labores cum deis tum hominibus subeundi sunt (cf. Hercules)
Stat. Silv. III 3, 57—58

pertulit et saevi Tirynthius horrida regis
pacta, nec erubuit famulantis fistula Phoebi;

quantopere evincendis gigantibus dei dederunt operam, tantopere Pompeiani elaborant in proelio parando (cf. Neptunus, Cyclops, Minerva)

Luc. Phars. VII 145—150

non aliter Phlegra rabidos tollente gigantas
Martius incaluit Siculis incudibus ensis,

et rubuit flammis iterum Neptunia cuspis,
spiculaque extenso Paean Pythone recoxit,
Pallas Gorgoneos diffudit in Aegida crines,
Pallenaea Iovi mutavit fulmina cyclops.

Bacchus.

Maiestas Domitiani cenantis qui tot bellis bene gestis requiescit, non minus serena est quam Bacchi qui longe lateque vagatus sese dulci quieti dat (cf. Iuppiter, Mars, Hercules, Pollux)

Stat. Silv. IV 2, 46—56

non aliter gelida Rhodopes in valle recumbit
dimissis Gradivus equis; sic lubrica ponit
membra Therapnaea resolutus gymnade Pollux,
sic iacet ad Gangen Indis ululantibus Euhan,
sic gravis Alcides post horrida iussa reversus
gaudebat strato latus adclinare leoni.
parva loquor necdum aequo tuos, Germanice, vultus:
talis ubi Oceani finem mensasque revisit
Aethiopum sacro diffusus nectare vultus,
dux superum secreta iubet dare carmina Musas
et Pallenaeos Phoebum laudare triumphos;

maiestas Scipionis triumphantis (cf. Hercules)

Sil. Pun. XVII 645—650

ipse, astans curru atque auro decoratus et ostro
Martia praebebat spectanda quiritibus ora:
qualis odoratis descendens Liber ab Indis
egit pampineos frenata tigride currus;
aut cum Phlegraeis confecta mole gigantum
incessit campis tangens Tirynthius astra[1]);

quassatio terrae

Val. Flacc. Arg. VI 168—170

ipse rotis gemit ictus ager tremibundaque pulsu
nutat humus, quatit ut saevo cum fulmine Phlegram
Iuppiter adque imis Typhona reverberat arvis

[1]) Sen. Phaed. 753—757.

Mars.

Facies Domitiani equitantis Marti par est

Stat. Silv. I 1, 18—19

. . exhaustis Martem non altius armis
Bistonius portat sonipes . . .;

maiestas (cf. Bacchus, Iuppiter, Pollux, Hercules)

Stat. Silv. IV 2, 46—56;

infans (cf. Apollo, Mercurius)

Stat. Theb. IV 801—803;

Mars belliger viribus corporis Hippolytum non superat (cf. Castor, Pollux, Hercules)

Sen. Phaed. 804—811

. . . tu licet asperos
pugnacesque deos viribus audeas
et vasti spatio vincere corporis:
aequas Herculeos nam iuvenis toros,
Martis belligeri pectore latior.
si dorso libeat cornipedis vehi,
frenis Castorea mobilior manu
Spartanum poteris flectere Cyllaron;

Caesar pugnans animosque omnium suorum incitans inter hostes vagatur (cf. Bellona)

Luc. Phars. VII 568—570

sanguineum veluti quatiens Bellona flagellum
Bistonas aut Mavors agitans, si verbere saevo
Palladia stimulet turbatos aegide currus;

Scipio aciem perrumpens caedem Carthaginiensibus parat

Sil. Pun. XVII 486—490

ipse super strages ductor Rhoeteius instat.
qualis apud gelidum currus quatit altior Hebrum
et Geticas solvit ferventi sanguine Mavors
laetus caede nives, glaciemque Aquilonibus actam
perrumpit stridens sub pondere belliger axis;

labore defatigati et Iason et Mars in fluvium se iniciunt (cf. Cy clops)

Val. Flacc. VII 645—648

. . . qualis Getico de pulvere Mavors
intrat equis uritque gravem sudoribus Hebrum,
aut niger ex antris rutilique a fulminis aestu
cum furit et Siculo respirat in aequore Cyclops;

terror immensus clamore illorum, qui hostes adesse proclamant, Cyzicenis inicitur (cf. Eumenides, Gorgo)

Val. Flacc. Arg. III 53—55

. . . talesque metus non Martia cassis
Eumenidumque comae, non tristis ab aegide Gorgo
sparserit aut tantis aciem raptaverit umbris;

pulchritudine corporis Iason inter omnes excellit

Val. Flacc. Arg. VIII 226—229

praecipueque sui, siquando, in tempore pulcher
coniugii Minyas numquam magis eminet inter;
qualis sanguineo victor Gradivus ab Hebro
Idalium furto subit aut dilecta Cythera.

Mercurius.

Celeritas, qua Abascantus nuntios omnium rerum toto imperio gestarum accipit, admirabilis est (cf. Iris, Fama)

Stat. Silv. V 1, 101—106

cunctaque si numerem, non plura interprete virga
nuntiat ex celsis ales Tegeaticus astris
quaeque cadit liquidas Iunonia virgo per auras
et picturato pluvium ligat aera gyro
quaeque tuas laurus volucri, Germanice, cursu
Fama vehit;

infans (cf. Mars, Apollo)

Stat. Theb. IV 801—803.

Neptunus.

Labor: (cf. Apollo, Cyclops, Iuno)

Luc. Phars. VII 145—150;

fragor (cf. Iuppiter)

Val. Flacc. Arg. V 163—164.

pompa Hannibalis agmen ducentis cum Neptuno per aequora vehenti comparatur

Sil. Pun. III 409—414

ibat ovans longaque umbram tellure trahebat.
Non aliter, quotiens perlabitur aequora curru
extremamque petit, Phoebea cubilia, Tethyn
frenatis Neptunus equis, fluit omnis ab antris
Nereidum chorus et sueto certamine nandi
candida perspicuo convertunt bracchia ponto;

cum tranquillitate per Neptunum effecta comparatur tranquillitas animi oratione Fabii effecta

Sil. Pun. VII 254—259

ut cum turbatis placidum caput extulit undis
Neptunus totumque videt totique videtur
regnator ponto; saevi fera murmura venti
dimittunt nullasque movent in frontibus alas;
tum, sensim infusa tranquilla per aequora pace,
languentes tacito lucent in litore fluctus.

Pluto.

Color niger Plutonius erat rectori currus Tungro cuidam; nam erat niger, nigri erant equi, nigra erant arma

Sil. Pun. VII 688—690

ceu quondam aeternae regnator noctis, ad imos
cum fugeret thalamos, Hennaea virgine rapta,
egit nigrantem Stygia caligine currum.

Vulcanus.

Praestantia (artificiorum):

Statius de Hercule Epitrapezio verba faciens respicit Vulcani artem et negat ex parva materia Vulcanum tam pulchram statuam fingere posse (cf. Brontes, Telchines)

Stat. Silv. IV 6, 44—49

quis modus in dextra, quanta experientia docti
artificis curis, pariter gestamina mensae
fingere et ingentes animo versare colossos!
tale nec Idaeis quicquam Telchines in antris

nec stolidus Brontes nec, qui polit arma deorum,
Lemnius exigua potuisset ludere massa;

fragorem, quem efficit Vulcanus in fabrica, efficit Hercules in aedificando templo (cf. Brontes, Steropes)

Stat. Silv. III 1, 130—133

non tam grande sonat motis incudibus Aetne,
cum Brontes Steropesque ferit, nec maior ab antris
Lemniacis fragor est, ubi flammeus aegida caelat
Mulciber et castis exornat Pallada donis;

furore tali exardescit Caesar inclusus, quali Vulcanus, si Aetna monte esset oppressus (cf. bestia)

Luc. Phars. X 445—448

sic fremit in parvis fera nobilis abdita claustris
et frangit rapidos praemorso carcere dentes,
ne secus in Siculis fureret tua flamma cavernis,
obstrueret summam si quis tibi, Mulciber, Aetnam.

Diana.

Pulchritudo corporis filiarum Adrasti a poeta describitur

Stat. Theb. I 535—536

Pallados armisonae pharetrataeque ora Dianae
aequa ferunt, terrore minus;

ut Diana ferarum, ita hostium stragem edit Livius Salinator

Sil. Pun. XV 766—777

iamque per extentos alterna strage virorum
corpora fusa iacent campos, demersaque in undam
iunxerunt cumulo crescente cadavera ripas
ut cum venatu saltus exercet opacos
Dictynna et laetae praebet spectacula matri,
aut Cynthi nemora excutiens aut Maenala lustrans,
omnis Naiadum plenis comitata pharetris
turba ruit, striduntque sagittiferi goryti.
tum per saxa ferae perque ipsa cubilia fusae,
per vallis fluviosque atque antra virentia musco
multa strage iacent. exultat vertice montis
gratam perlustrans oculis Latonia praedam.

Iuno.

Magnitudo anguis Iunonii[1]) depingitur (cf. Gigantes, Hydra) Sil. Pun. VI 181—184

quantis armati caelum petiere Gigantes
anguibus, aut quantus Lernae lassavit in undis
Amphitryoniaden serpens, qualisque comantis
auro servavit ramos Iunonius anguis.

Minerva.

Labor (cf. Apollo, Neptunus, Cyclops)
Luc. Phars. VII 145—150.

Proserpina.

Vagatio Medeae virginis aequali Scythidum comitante caterva depingitur

Val. Flacc. Arg. V 343—347

florea per verni qualis iuga duxit Hymetti
aut Sicula sub rupe choros hinc gressibus haerens
Pallados hinc carae Proserpina iuncta Dianae,
altior ac nulla comitum certante priusquam
palluit et viso pulsus decor omnis Averno[2]).

Galli Cybeles.

Insania subita capitur Thiodamas
Stat. Theb. X 170—175

sic Phryga terrificis genetrix Idaea cruentum

---

[1]) Quis esset Iunonius anguis, me docuit R. Foerster allatis his locis: Verg. Aen. IV 485

. . . et sacros servabat in arbore ramos,

quem locum explicat Servius his verbis: cum nuptiae Iunonis celebrarentur omnesque dii in honorem eius conferrent munera, Terra in extremis Africae regionibus edidit arborem poma aurea ferentem: haec cum decerperent Hesperides, Atlantis sive Hesperi filiae, custodem eiusdem arboris Iuno offensa munus spoliari suum in metum earum misit draconem insomnem, qui omnibus noctibus diebusque custodiret ramos.

Ex eodem fonte fluxisse videtur Apoll. *βιβλ.* II 113 (5,11): *ἃ* (sc. *τὰ μῆλα*) *<Γῆ> γήμαντι Ἥραν ἐδωρήσατο.*

De malo sponsae dato confer R. Foerster „Die Hochzeit des Zeus und der Hera“, Programm zum Winckelmannfeste, Breslau 1867, p. 14, 15, 25.

[2]) Cf. Claud. de raptu Pros. III 80—88.

elicit ex adytis consumptaque bracchia ferro
scire vetat; quatit ille sacras in pectora pinus
sanguineosque rotat crines et vulnera cursu
exanimat: pavet omnis ager respersaque cultrix
arbor, et attoniti currum erexere leones;

oblivio doloris:

ut Galli maximos dolores perpessi diem festum agunt, ita Iason et Medea multis periculis defuncti ad aram adeunt

Val. Flacc. Arg. VIII 238—241

sic ubi Mygdonios planctus sacer abluit Almo,
laetaque iam Cybele festaeque per oppida taedae,
quis modo iam saevos adytis fluxisse cruores
cogitet? aut ipsi qui iam meminere ministri?

dei universi.

Hilaritas:

sereni sunt vultus virorum laboribus bene functorum ut deorum ad Aethiopes venientium

Stat. Theb. V 426—428

. . . arcana sic fama erumpere porta
caelicolas, si quando domos litusque rubentum
Aethiopum et mensas amor est intrare minores[1]).

b) Achilles.

Praestantia omnis generis Philetus, puer Ursi, vel Achillem antecedit (cf. Paris, Theseus, Troilus)

Stat. Silv. II 6, 25—33

. . . non talem Cressa superbum
callida sollicito revocavit Thesea filo,
nec Paris Oebalios talis visurus amores
rusticus invitas deiecit in aequora pinus.
non fallo aut cantus adsueta licentia ducit:
vidi et adhuc video, qualem nec bella canentem
litore virgineo Thetis occultavit Achillen
nec circum saevi fugientem moenia Phoebi
Troilon Haemoniae deprendit lancea dextrae;

---

[1]) Cf. Hom. α 22, 25, A 423, Ψ 205 sq.

coma Flavii Earini admirabili est splendore (cf. Nisus)

Stat. Silv. III 4, 84—85

huic et purpurei cedet coma saucia Nisi,
et quam Sperchio tumidus servabat Achilles;

labores post otium facilius perferri posse poeta Victorium Marcellum docet

Stat. Silv. IV 4, 33—36

. . . . vires instigat alitque
tempestiva quies, maior post otia virtus!
talis cantata Briseide venit Achilles
acrior et positis erupit in Hectora plectris;

amicitia Achillis cum Patroclo amore coniuncti non aequat quam poeta inter se et Victorium manere cupit amicitiam (cf. Hercules, Theseus)

Stat. Silv. IV 4, 102—105

. . . nec enim Tirynthius * * *
* * * * * * almae
pectus amicitiae; cedet tibi gloria fidi
Theseos, et lacerum qui circa moenia Troiae
Priamiden caeso solacia traxit amico;

gloria (cf. Agamemnon)

Sil. Pun. XV 275—279.

Acoetes.

Amor Atedii Melioris erga Glauciam, alumnum suum, ne a parentibus quidem vinci potest (cf. Chiron, Phoenix, Dictys, Ino, Acca)

Stat. Silv. II 1, 88—100

. . . tenero sic blandus Achilli
semifer Haemonium vincebat Pelea Chiron.
nec senior Peleus natum comitatus in arma
Troica, sed claro Phoenix haerebat alumno.
optabat longe reditus Pallantis ovantis
Euander, fidus pugnas spectabat Acoetes.
cumque procul nitidis genitor cessaret ab astris
fluctivagus volucrem comebat Persea Dictys.
quid referam altricum victas pietate parentes?

quid te post cineres deceptaque funera matris
tutius Inoo reptantem pectore, Bacche?
iam secura patris Tuscis regnabat in undis
Ilia, portantem lassabat Romulus Accam.

Agamemnon.

Sanatio (cf. Machaon, Telephus)

Stat. Silv. I 4, 112—114;

magnitudo exercitus Caesaris non cedit Agamemnoni (cf. Darius, Xerxes)

Luc. Phars. III 284—290

non, cum Memnoniis deducens agmina regnis
Cyrus et effusis numerato milite telis
descendit Perses fraternique ultor amoris
aequora cum tantis percussit classibus, unum
tot reges habuere ducem, coiere nec unquam
tam variae cultu gentes, tam dissona volgi
ora;

gloria Scipionis laudem Agamemnonis superat, quod ille sponsam principis cuiusdam huic reddidit, cum Atrida amori incesto indulgeret (cf. Achilles)

Sil. Pun. XV 275—279

. . . cedat tibi gloria lausque
magnorum heroum celebrataque carmine virtus.
mille Mycenaeus qui traxit in aequora proras
rector, et Inachiis qui Thessala miscuit arma
femineo socium violarunt foedus amore.

Aiax (Oilei filius).

Sustentatio vitae neque Aiaci neque Ornyto natantibus obtigit

Sil. Pun. XIV 477—480

innatat ecce super transtris fumantibus asper
Ornytos ac longam sibimet facit aequore mortem,
qualis Oiliades fulmen iaculante Minerva,
surgentis domuit fluctus ardentibus ulnis.

Alpheus et Arethusa.

Amor fidus Stellae celebratur

Stat. Silv. I 2, 201—208

mactе toris, Latios inter placidissime vates,
quod durum permensus iter coeptique laboris
prendisti portus. nitidae sic transfuga Pisae
amnis in externos longe flammatus amores
flumina demerso trahit intemerata canali,
donec Sicanios tandem prolatus anhelo
ore bibat fontes; miratur dulcia Nais
oscula nec credit pelago venisse maritum.

Amphion.

Arte summa arbores et saxa movet Pollius Felix (cf. Arion, Orpheus)

Stat. Silv. II 2, 60—61

iam Methymnaei vatis manus et chelys una
Thebais et Getici cedat tibi gloria plectri.

Antaeus.

Ingentem caedem edit Sulla (cf. Oenomaus, Diomedes Thrax)

Luc. Phars. II 162—165

. . . scelerum non Thracia tantum
vidit Bistonii stabulis pendere tyranni,
postibus Antaei Libye, nec Graecia maerens
tam laceros artus Pisaea flevit in aula.

Argonautae.

Labores Stellae, ut Violentillam sibi conciliaret, non minores erant quam Argonautarum (cf. Hercules, Pelops)

Stat. Silv. I 2, 38—42

digna quidem merces, et si tibi Iuno labores
Herculeos, Stygiis et si concurrere monstris
fata darent, si Cyaneos raperere per aestus.
hanc propter tanti Pisaea lege trementem
currere et Oenomai fremitus audire sequentis.

Arion.

Ars (cf. Amphion, Orpheus)
Stat. Silv. II 2, 60—61.

Athamas.

Furor in puerum Lachesi opprobrio datur; nam Athamas ipse puero illi formosissimo pepercisset (cf. Ulixes, Medea, Procne)

Stat. Silv. II 1, 140—145

hunc nec saeva viro potuisset carpere Procne,
nec fera crudeles Colchis durasset in iras,
editus Aeolia nec si foret iste Creusa;
torvus ab hoc Athamas insanos flecteret arcus,
hunc quamquam Hectoreos cineres Troiamque perosus
turribus e Phrygiis flesset missurus Ulixes;

furit rex Cyzicenorum
Val. Flacc. Arg. III 67

. . . qualisve redit venatibus actis
lustra pater triviamque canens umeroque Learchum
advehit, at miserae declinant lumina Thebae.

Attis.

Pulchritudo corporis Flavii Earini laudibus tollitur (cf. (Hylas, Endymion, Narcissus)

Stat. Silv. III 4, 40—43

. . . cedet tibi Latmius ultro
Sangariusque puer quemque irrita fontis imago
et sterilis consumpsit amor. te caerula Nais
mallet et adprensa traxisset fortius urna.

Briareus.

Furor Herculem magis horridum reddit Briareo (cf. Gyas)
Sen. Herc. Oet. 167—170

quis vastus Briareus, quis tumidus Gyas,
supra Thessalicum cum stetit aggerem
caeloque inseruit vipereas manus
hoc vultu riguit?

ingenti clade afficit hostes Tydeus
Stat. Theb. II 595—601

non aliter — Geticae si fas est credere Phlegrae —
armatum immensus Briareus stetit aethera contra,
hinc Phoebi pharetras, hinc torvae Pallados anguis,
inde Pelethroniam praefixa cuspide pinum
Martis, at hinc lasso mutata Pyragmone temnens
fulmina, cum toto nequiquam obsessus Olympo
tot queritur cessare manus.[1])

Brontes.

Furor (cf. Vulcanus)
Stat. Silv. III 1, 130—133;
praestantia (artificiorum) (cf. Vulcanus, Telchines)
Stat. Silv. IV 6, 44—49.

Cadmus.

Caedem inter semet ipsos edunt milites (cf. Iason)
Luc. Phars. IV 549—556

. . . . sic semine Cadmi
emicuit Dircaea cohors ceciditque suorum
volneribus dirum Thebanis fratribus omen;
Phasidos et campis insomni dente creati
terrigenae missa magicis e cantibus ira
cognato tantos implerunt sanguine sulcos,
ipsaque, inexpertis quod primum fecerat herbis,
expavit Medea nefas.

Calydon.

Impetum aper frustra facit in Meleagrum ut Thebani in Tydeum
Stat. Theb. II 469—475

. . . Oeneae vindex sic ille Dianae
erectus saetis et aduncae fulmine malae,
cum premeret Pelopea phalanx saxa obvia volvens
fractaque perfossis arbusta Acheloia ripis,
iam Telamona solo, iam stratum Ixiona linquens

[1]) Confer Sen. Herc. Oet. 167—170; Hor. carm. III 4, 53 confert Luehrius.

te, Meleagre, subit; ibi demum cuspide lata
haesit et obnixo ferrum laxavit in armo.

Castor et Pollux.

Belliger (cf. Mars, Hercules)
Sen. Phaed. 804—811;

Castorem domitorem equorum antecedit Hippolytus
Sen. Phaed. 809—811

si dorso libeat cornipedis vehi,
frenis Castorea mobilior manu
Spartanum poteris flectere Cyllaron[1]);

maiestas (cf. Bacchus, Mars, Iuppiter, Hercules)
Stat. Silv. IV 2, 46—56;

victoriis splendidissimis non minores honores assecutus est pater poetae quam Castor et Pollux
Stat. Silv. V 3, 139—140

. . . non totiens victorem Castora gyro
nec fratrem caestu virides plausere Therapnae.

Centaurus.

Pugna atrox:
omnes, qui ei obsistunt, prosternit Hippomedon
Stat. Theb. IX 220—222

semifer aeria talis Centaurus ab Ossa
desilit in valles, ipsum nemora alta tremiscunt
campus equum;

caedes (cf. Lapithae)
Stat. Theb. V 261– 264.

Chiron.

Educatoris exemplum praebet Chiron, qualis erat pater poetae, quem adulescentes egregie instituisse poeta ait (cf. Nestor, Phoenix)
Stat. Silv. V 3, 191—194

non tibi certassent iuvenilia fingere corda
Nestor et indomiti Phoenix moderator alumni
quique tubas acres lituosque audire volentem
Aeaciden alio frangebat carmine Chiron;

[1]) Verg. Georg. III 89 confert Leo.

amor (cf. Phoenix, Acoetes, Dictys, Ino, Acca)
Stat. Silv. II 1, 88—100.

Coeus.

Spe vana et Coeus et Cyziceni sunt decepti; ille ex vinculis se solutum iri, hi se victoriam parturos esse frustra speraverant
Val. Flacc. Arg. III 224—228

. . . fundo veluti cum Coeus in imo
vincla Iovis fractoque trahens adamante catenas
Saturnum Tityumque vocat spemque aetheris amens
concipit, ast illum fluviis et nocte remensa
Eumenidum canis et sparsae iuba reppulit hydrae.

Cyclopes.

Ars fabricandi:

non aliter parant Pompeiani arma atque Cyclopes fulmina Iovis
Luc. Phars. VII 145—146

non aliter Phlegra rabidos tollente gigantas
Martius incaluit Siculis incudibus ensis;

fragor tantus impetu pugilum oritur quantum efficiunt sub Aetna Cyclopes
Val. Flacc. Arg. IV 286—288

. . . pervigil ut cum
artificum rotat Aetna manus et fulmina Cyclops
prosubigit, pulsis strepitant incudibus urbes[1];

labor (cf. Mars)
Val. Flacc. Arg. VII 645—650.

Daedalus et Icarus.

Aurea mediocritas (cf. Phaethon)
Sen. Herc. Oet. 675—685.

Dictys.

Amor (cf. Acoetes, Chiron, Phoenix, Ino, Acca)
Stat. Silv. II 1, 88—100.

[1]) Verg. Aen. VIII 419 confert Langenus.

Diomedes (Thrax).

Caedes (cf. Oenomaus, Antaeus)
Luc. Phars. II 162—165.

Deucalion.

Cum eluvione Deucalionea impetus aquarum comparatur
Luc. Phars. V 620—626

. . . sic rector Olympi
cuspide fraterna lassatum in saecula fulmen
adiuvit, regnoque accessit terra secundo,
cum mare convolvit gentes, cum litora Tethys
noluit ulla pati caelo contenta teneri.
Tunc quoque tanta maris moles crevisset in astra,
ni superum rector pressisset nubibus undas.

Endymion.

Forma par est Iason Endymioni
Val. Flacc. Arg. VIII 27—30

qualis adhuc sparsis comitum per lustra catervis
Latmius aestiva residet venator in umbra,
dignus amore deae, velatis cornibus et iam
Luna venit;

(cf. Attis, Narcissus, Hylas)
Stat. Silv. III 4, 40—43.

Eumaeus.

Fides Ursi pueri non cedit Eumaeo (cf. Patroclus, Theseus, Pylades)
Stat. Silv. II 6, 54—57

dignus et Haemonium Pyladen praecedere fama
Cecropiamque fidem, sed laudum terminus esto,
quem fortuna sinit: non mente fidelior aegra
speravit tardi reditus Eumaeus Ulixis.

Geryones.

Pugna (trium corporum):
tres fratres variis armis pugnant

Sil. Pun. XIIII 200—205

qualis Atlantiaco memoratur litore quondam
monstrum Geryones immane tricorporis irae,
cui tres in pugna dextrae varia arma gerebant.
una ignes saevos, ast altera pone sagittas
fundebat, validam torquebat tertia cornum,
atque uno diversa dabat tria vulnera nisu.

Gigantes.

Audacia Gigantum, qui Ossam montem Olympo imponebant, non maior erat quam eorum, qui primi per aequora navigabant

Stat. Silv. III 2, 61—66

quis rude et abscissum miseris animantibus aequor
fecit iter solidaeque pios telluris alumnos
expulit in fluctus pelagoque immisit hianti
audax ingenii? nec enim temeraria virtus
illa magis, summae gelidum quae Pelion Ossae
iunxit anhelantemque iugis bis pressit Olympum;

magnitudo (cf. Iuno, Hydra)

Sil. Pun. VI 181—184;

clamor (cf. Iuppiter)

Sil. Pun. IX 303—309.

Glaucus.

Receptione benigna demergitur Crenaeus (cf. Melicerta, Triton)

Stat. Theb. IX 328—331

non Anthedonii tegit hospitis inguina pontus
blandior, aestivo nec se magis aequore Triton
exerit, aut carae festinus ad oscula matris
cum remeat tardumque ferit delphina Palaemon.

Hercules.

Viribus tantis corporis ut valeat ex Orco erumpens, optat Megara, quantis valuit, cum montem dirumperet

Sen. Herc. fur. 283—288

. . . dirutis qualis iugis
praeceps citato flumini quaerens iter
quondam stetisti, scissa cum vasto impetu

patuere Tempe; pectore impulsus tuo
huc mons et illuc cessit et rupto aggere
nova cucurrit Thessalus torrens via;

belliger (cf. Mars, Castor)
Sen. Phaed. 804—811;

labores (cf. Pelops, Argonautae)
Stat. Silv. I 2, 38—42;

Hannibal, qui Alpes superavit, Herculi par est
Sil. Pun. IV 4—5

aemulaque Herculei iactantem facta laboris
descendisse ducem;

labores (cf. Apollo)
Stat. Silv. III 3, 57—58;

maiestas (cf. Iuppiter, Mars, Bacchus, Pollux)
Stat. Silv. IV 2, 46—56;

maiestas (cf. Bacchus)
Sil. Pun. XVII 645—650;

vestis:

aurea pelle vestitus Iason ingreditur
Val. Flacc. Arg. VIII 122—126

. . . villisque comantem
sidereis totos pellem nunc fundit in artus
nunc in colla refert, nunc implicat ille sinistrae.
talis ab Inachiis Nemeae Tirynthius antris
ibat adhuc aptans umeris capitique leonem;

fides et amicitia (cf. Achilles, Theseus)
Stat. Silv. IV 4, 101—105;

vires Vettii Bolani adiuvante Domitiano non minores sunt quam Telamonis cum Hercule coniuncti (cf. Telamon)
Stat. Silv. V 2, 48—50

sic Phryges attoniti, quamquam Nemeaea viderent
arma Cleonaeusque acies impelleret arcus,
pugnante Alcide tamen et Telamona timebant;

funus Menoecei magnifice paratur
Stat. Theb. XII 64—67

. . . hostiles super ipse, ut victor, acervos,
pacifera lauro crinem vittisque decorus
accubat: haud aliter, quam cum poscentibus astris
laetus in accensa iacuit Tirynthius Oeta.

Hippomenes.

Amore flagrans Stella Violentillam sibi expetit (cf. Leander)
Stat. Silv. I 2, 85—89

vidi ego et immiti cupidum decurrere campo
Hippomenen, nec sic meta pallebat in ipsa;
vidi et Abydeni iuvenis certantia remis
bracchia laudavique manus et saepe natanti
praeluxi.

Hyacinthus.

Forma Glaucias Hyacintho non cedit (cf. Hylas, Leda)
Stat. Silv. II 1, 110—113

sive catenatis curvatus membra palaestris
staret: Amyclaea conceptum matre putares,
Oebaliden illo praeceps mutaret Apollo,
Alcides pensaret Hylan.

Hylaeus.

Cursu effrenato equitat Hippomedon per agros
Stat. Theb. IV 139—144

non aliter silvas umeris et utroque refringens
pectore montano duplex Hylaeus ab antro
praecipitat — pavet Ossa — vias, pecudesque feraeque
procubuere metu; non ipsis fratribus horror
afuit, ingenti donec Peneia saltu
stagna subit magnumque obiectus detinet amnem.

Hylas.

Voces (amantis):
rursus atque iterum vocata est Violentilla a Stella
Stat. Silv. I 2, 197—199

Asteris et vatis totam cantata per urbem,
Asteris ante dapes, nocte Asteris, Asteris ortu,
quantum non clamatus Hylas;

forma (cf. Hyacinthus, Leda)
Stat. Silv. II 1, 110—113;
(cf. Endymion, Attis, Narcissus)
Stat. Silv. III 4, 40—43.

Iason.

Caede atroci milites se ipsi trucidant (cf. Cadmus)
Luc. Phars. IV 549—556

. . . sic semine Cadmi
emicuit Dircaea cohors ceciditque suorum
volneribus dirum Thebanis fratribus omen;
Phasidos et campis insomni dente creati
Terrigenae missa magicis e cantibus ira
cognato tantos implerunt sanguine sulcos,
ipsaque, inexpertis quod primum fecerat herbis,
expavit Medea nefas.

Lapithae.

Caedes fit omnium virorum Lemniorum post convivium luxuriosum (cf. Centaurus)
Stat. Theb. V 261—264

. . . gelida non saevius Ossa
luxuriant Lapitharum epulae, si quando profundo
Nubigenae caluere mero; vix primus ab ira
pallor et impulsis surgunt ad proelia mensis[1]).

Leander.

Amor (cf. Hippomenes)
Stat. Silv. I 2, 85—89.

Lucifer.

Splendore chlamydis Aron Luciferum aequat
Val. Flacc. Arg. VI 527

. . . qualis roseis it Lucifer alis.

Machaon.

Sanatione mira celerrime convalescit Rutilius Rufus (cf. Agamemnon, Telephus)

[1]) Cf. Ov. Met. XII 219—223.

Stat. Silv. I 4, 112–114

. . . citius non arte refectus
Telephus Haemonia, nec quae metuentis Atridae
saeva Machaonio coierunt vulnera suco.

Midas.

Divitiis maximis Manlius Vopiscus, ut est vir summi ingenii, dignus est (cf. Croesus)

Stat. Silv. I 3, 105

digne Midae Croesique bonis et Perside gaza;

divitior Mida est Pollius Felix (cf. Croesus)

Stat. Silv. II 2, 121

vive, Midae gazis et Lydo ditior auro.

Mimas.

Atrocitas Crixi cum Mimante confertur

Sil. Pun. IV 275—276

quantus Phlegraeis Telluris alumnus in arvis
movit signa Mimas caelumque exterruit armis.

Minos.

Vanitas contentionum et in Iasone et in Daedalo persequendis depingitur

Val. Flacc. Arg. I 700—708

saevit atrox Pelias inimicaque vertice ab alto
vela videt nec qua se ardens effundere possit.
haud secus aerisona volucer cum Daedalus ora
prosiluit iuxtaque comes brevioribus alis
nube nova linquente domos Minoia frustra
infremuit manus et visu lassatur inani
omnis eques plenisque redit Gortyna pharetris.

Narcissus.

Pulchritudo (cf. Attis, Endymion, Hylas)

Stat. Silv. III 4, 40—43.

Nestor.

Senectus Achillis qualis fuisset, si diutius vixisset, cum Nestoris aetate comparatur

Sen. Troad. 211—213

qui fugere bellum iussus et longa sedens
aevum senecta ducere ac Pylii senis
transcendere annos exuit matris dolos;

poeta Manlio Vopisco aetatem diuturnam a deis petit

Stat. Silv. I 3, 110

finem Nestoreae precor egrediare senectae;

aetate Nestoris ut fruatur Rutilius Gallicus vota facit Statius (cf. Priamus, Sibylla)

Stat. Silv. I 4, 125—127

. . . tu Troica dignus
saecula et Euboici transcendere pulveris annos
Nestoreosque situs[1]);

Pollius Felix ad senectutem Nestoris perveniat (cf. Tithonus)

Stat. Silv. II 2, 107—108

sis felix, tellus, dominis ambobus in annos
Mygdonii Pyliique senis;

Domitianus multos per annos populum Romanum regat (cf. Priamus)

Stat. Silv. III 4, 103—104

. . eat, oro, per annos
Iliacos Pyliosque simul;

non aliter poeta Domitiano diuturnitatem vitae precatur (cf. Tithonus)

Stat. Silv. IV 3, 149—151

annos perpetua geres iuventa,
quos fertur placidos adisse Nestor
quos Tithonia computat senectus;

pater poetae senectute Nestoris dignus fuisset

Stat. Silv. V 3, 255

. . o Pylias aevi transcendere metas
et Teucros aequare senes, o digne videre
me similem[1])!

---

[1]) Confer Sen. Troad. 211—213.

educatio (cf. Chiron, Phoenix)
Stat. Silv. V 3, 191—194;

fortitudine maxima pugnant ut Nestor ita Fabius virili aetate iam exeunte
Sil. Pun. VII 596—597

qualis post iuvenem nondum subeunte senecta
rector erat Pylius bellis aetate secunda;

eloquentia Laelius cum Nestore certare potest
Sil. Pun. XV 456

aequabat Pyliae Neleia mella senectae.

Nisus.

Coma (cf. Achilles)
Stat. Silv. III 4, 84—85.

Oedipus.

Stuprum Arsacides impune matri et sorori intulit; sed Oedipus, qui nescius hoc flagitium fecit, crudelissimam poenam solvit
Luc. Phars. VIII 406—407

damnat apud gentes sceleris non sponte peracti
Oedipodionias infelix fabula Thebas.

Oeneus.

Repudiatione generorum plurimorum Adrastus Oeneum aequat
Stat. Theb. II 165—166 (cf. Oenomaus)

. . nec plura tuus despexerat Oeneus
foedera Pisaeisque socer metuendus habenis.

Oenomaus.

Repudiatio (cf. Oeneus)
Stat. Theb. II 165—166;

caedes (cf. Antaeus, Diomedes Thrax)
Luc. Phars. II 162—165;

copia hominum qui ludos spectant, est maxima (cf. ludi Isthmii)
Stat. Theb. VI 253—254

. . non aut Ephyraeo in litore tanta
umquam aut Oenomai fremuerunt agmina circo.

Opheltes.

Mors immatura Glauciae flebilis est (cf. Palaemon)
Stat. Silv. II 1, 179—182

talis in Isthmiacos prolatus ab aequore portus
naufragus imposita iacuit sub matre Palaemon;
sic et in anguiferae ludentem gramine Lernae
rescissum squamis avidus bibit ignis Ophelten.

Orestes.

Formidinibus umbrarum uritur ut Orestes ita Caesar dormiens (cf. Pentheus, Agaue)
Luc. Phars. VII 776—780

. . omnes in Caesare manes.
haud alios nondum Scythica purgatus in ara
Eumenidum vidit vultus Pelopeus Orestes,
nec magis attonitos animi sensere tumultus,
cum fureret, Pentheus, aut cum desisset, Agaue.

Orpheus.

Cantu dulci Atedii Melioris dolor mitigari non potest (cf. Sirenes)
Stat. Silv. II 1, 10—12

nec, si tergeminum Sicula de virgine carmen,
affluat aut silvis chelys intellecta ferisque,
mulceat insanos gemitus;

neque magis Orpheus Abascantum consolari potest (cf. Musae)
Stat. Silv. V 1, 23—25

. . . licet ipse levandos
ad gemitus silvis comitatus et amnibus Orpheus
adforet;

ars (cf. Arion, Amphion)
Stat. Silv. II 2, 60—61.

Palaemon.

Mors (cf. Opheltes)
Stat. Silv. II 1, 179—182;

receptio (cf. Glaucus, Triton)
Stat. Theb. IX 328—331.

Patroclus.

Fides (cf. Eumaeus, Pylades, Theseus)
Stat. Silv. II 6, 54—57;

fidelem se Crispino praestare Optato licet (cf. Pylades)
Stat. Silv. V 2, 156—157

quo Pylades ex more pius, quo Dardana gessit
bella Menoetiades.

Paris.

Laetitia maxima Stella, qui Violentillam in matrimonium ducit, motus est (cf. Peleus)
Stat. Silv. I 2, 213—217

. . . Amyclaeis minus exultavit harenis
pastor ad Idaeas Helena veniente carinas[1];
Thessala nec talem viderunt Pelea Tempe,
cum Thetin Haemoniis Chiron accedere terris
erecto prospexit equo;

praestantia (cf. Achilles, Theseus, Troilus)
Stat. Silv. II 6, 25—33;

fides Priscillae ne per Paridem quidem corrumpi poterat (cf. Thyestes, Penelopa)
Stat. Silv. V 1, 55—59

ex te maior honos, unum novisse cubile,
unum secretis agitare sub ossibus ignem.
illum nec Phrygius vitiasset raptor amorem
Dulichiive proci nec qui fraternus adulter
casta Mycenaeo conubia polluit auro.

Parthenopaeus.

Pulchritudo Phileti excellit
Stat. Silv. II 6, 41—43

. . . blandique severo
igne oculi, qualis bellis iam casside, visu
Parthenopaeus erat;

artis equitandi peritissimus erat Crispinus (cf. Troilus, Ascanius)

[1] Adnotavit Luehrius Hor. carm. I 15, 1.

Stat. Silv. V 2, 118—124

Gaetulo sic pulcher equo Troianaque quassans
tela novercales ibat venator in agros
Ascanius miseramque patri flagrabat Elissam;
Troilus haud aliter gyro leviore minantes
eludebat equos aut quem de turribus altis
Arcadas Ogygio versantem in pulvere metas
spectabant Tyriae non torvo lumine matres.

Peleus.

Laetitia (cf. Paris)
Stat. Silv. I 2, 213—217.

Pelops.

Labor (cf. Hercules, Argonautae)
Stat. Silv. I 2, 38—42.

Pentheus.

Contemptores divinarum rerum sunt Pentheus et Achilles; hic choreas, ille bacchanalia despicit

Stat. Ach. I 839—840

sic indignantem thyrsos acceptaque matris
tympana iam tristes spectabant Penthea Thebae;

formidines (cf. Orestes, Agaue)
Luc. Phars. VII 776—780.

Phaethon.

Terrore equorum paventium Hippolytus morti obicitur
Sen. Phaed. 1090—1092

talis per auras non suum agnoscens onus
solique falso creditum indignans diem
Phaethonta currus devio excussit polo;

,auream mediocritatem' tuendam esse docet exemplum Phaethontis (cf. Daedalus et Icarus)

Sen. Herc. Oet. 675—685

quisquis medium defugit iter
stabili nunquam tramite currit:

dum petit unum praebere diem
patrioque puer constitit axe
nec per solitum decurrit iter,
sed Phoebeis ignota petens
sidera flammis errante rota,
secum pariter perdidit orbem.
medium caeli dum sulcat iter,
tenuit placitas Daedalus oras
nullique dedit nomina ponto;
sed dum volucres vincere veras
Icarus audet patriasque puer
despicit alas Phoeboque volat
proxumus ipsi dedit ignoto
nomina ponto;

lavationem corporis Polynicis curant Argia et Antigona
Stat. Theb. XII 413—414

sic Hyperionium tepido Phaethonta sorores
fumantem lavere Pado.

Phoenix.

Amor (cf. Acoetes, Chiron, Dictys, Ino, Acca)
Stat. Silv. II 1, 88—100.

Polyphemus.

Insidias ut parat Polyphemus, ita Bebrycii naufragis
Val. Flacc. Arg. IV 104—107

quales Aetnaeis rabidi Cyclopes in antris
nocte sub hiberna servant freta, sicubi saevis
advectet ratis acta notis tibi pabula dira
et miseras, Polypheme, dapes.

Priamus.

Senectus (cf. Nestor)
Stat. Silv. I 4, 125—127.

Pylades

Fides (cf. Eumaeus, Patroclus, Theseus)
Stat. Silv. II 6, 54—57;

fides (cf. Patroclus)
Stat. Silv. V 2, 156—157.

Telamon.

Vires (cf. Hercules)
Stat. Silv. V 2, 48—50;
fides:
morti se obicit pro amicis Tydeus (cf. Theseus)
Stat. Theb. IX 68

iam Telamona pium, iam Thesea fama tacebat.

Telchines.

Praestantia (artificiorum) (cf. Vulcanus, Brontes)
Stat. Silv. IV 6, 44—49.

Telephus.

Sanatio (cf. Agamemnon, Machaon)
Stat. Silv. I 4, 112—114.

Theseus.

Praestantia (cf. Achilles, Paris, Troilus)
Stat. Silv. II 6, 25—33;

fides (cf. Patroclus, Pylades, Eumaeus)
Stat. Silv. II 6, 54—57;

fides (cf. Achilles, Hercules)
Stat. Silv. IV 4, 102—105;

morti se obicit pro amicis Tydeus (cf. Telamon)
Stat. Theb. IX 68;

luctus patris mortui mordet Claudii Etrusci animum
Stat. Silv. III 3, 179—180

. . . haud aliter gemuit per inania Theseus
litora, qui falsis deceperat Aegea velis.

Thyestes.

Fides (cf. Paris, Penelopa)
Stat. Silv. V 1, 58 -59;

obscuratio solis tum fit, cum Caesar et Pompeius contra se arma parant

Luc. Phars. I 541—544

condidit ardentes atra caligine currus
involvitque orbem tenebris gentesque coegit
desperare diem; qualem fugiente per ortus
sole Thyesteae noctem duxere Mycenae.

Tithonus.

Senectus (cf. Nestor)
Stat. Silv. II 2, 107—108; IV 3, 149—151.

Triptolemus.

Liberalitas (cf. Bacchus)
Stat. Silv. IV 2, 32—37.

Triton.

Receptio (cf. Glaucus, Palaemon)
Stat. Theb. IX 328—331.

Troilus.

Praestantia (cf. Achilles, Paris, Theseus)
Stat. Silv. II 6, 25—33;

ars (cf. Parthenopaeus, Ascanius)
Stat. Silv. V 2, 118—124[1]).

Typhoeus.

Odor malus pestilentia in exercitu Pompei orta efficitur (cf. Nesis)

Luc. Phars. VI 89—92

traxit iners caelum fluvidae contagia pestis
obscuram in nubem. tali spiramine Nesis
emittit Stygium nebulosis aera saxis,
antraque letiferi rabiem Typhonis anhelant;

vapore circumdatus Typhoeus flammas, Pytho oracula edit (cf. Aetna, Inarime)

Luc. Phars. V 97—101

hoc ubi virgineo conceptum est pectore numen,
humanam feriens animam sonat oraque vatis

[1]) Confer Hom. Ω 257.

solvit, ceu Siculus flammis urgentibus Aetnam
undat apex, Campana fremens ceu saxa vaporat
conditus Inarimes aeterna mole Typhoeus.

Ulixes.

Furor (cf. Athamas, Medea, Procne)
Stat. Silv. II 1, 140—145.

Aegiala.

Fides in virum, qui amatur:
Hoc exemplum spectat ad uxorem poetae (cf. Ariadna, Meliboea, Penelopa)
Stat. Silv. III 5, 44—51

heu ubi nota fides totque explorata per usus,
qua veteres, Latias Graias, heroidas aequas?
isset ad Iliacas — quid enim deterret amantes? —
Penelope gavisa domos, si passus Ulixes;
questa est Aegiale, questa est Meliboea relinqui,
et quam — quam saevi! — fecerunt maenada planctus.
nec minor his tu nosse fidem vitamque maritis
dedere.

Agaue.

Insania Iocastae
Sen. Oed. 1004—1007

. . . en ecce rapido saeva prosiluit gradu
Iocasta vecors, qualis attonita et furens
Cadmea mater abstulit nato caput
sensitque raptum;

formido (cf. Orestes, Pentheus)
Luc. Phars. VII 776—780;
pavent intellegentes caedem Cyzicenorum Argonautae
Val. Flacc. Arg. III 264—266

ceu pavet ad crines et tristia Pentheos ora
Thyias, ubi impulsae iam se deus agmine matris
abstulit et caesi vanescunt cornua tauri.

Alcyone.

Cura liberorum:
poetae uxor filiae diligentissime consulit (cf. Philomela)
Stat. Silv. III 5, 57—59

. . . non sic Trachinia nidos
Alcyone, vernos non sic Philomela penates
circumit. amplectens animamque in pignora transfert;

luctu stirpis undis abreptae et Alcyone et mater Crenaei premitur

Stat. Theb. IX 360—262

fluctivagam sic saepe domum madidosque penates
Alcyone deserta gemit, cum pignora saevus
Auster et algentis rapuit Thetis invida nidos.

Amazones.

Furor et insania Andromachae sepulcrum Hectoris, quo Astyanactem abdidit, defensurae depingitur (cf. Maenas)

Sen. Troad. 672—677

. . . qualis Argolicas ferox
turmas Amazon stravit, aut qualis deo
percussa Maenas entheo silvas gradu
armata thyrso terret atque expers sui
vulnus dedit nec sensit, in medios ruam
tumuloque cineris socia defenso cadam;

Asbyte bellicosa per campum vagatur

Sil. Pun. II 73—75

quales Threiciae Rhodopen Pangaeaque lustrant
saxosis nemora alta iugis cursuque fatigant
Hebrum innupta manus.

Andromacha.

Luctum patris mortui reddit poeta (cf. Erigona)

Stat. Silv. V 3, 74—77

. . . nec enim Marathonia virgo
parcius extinctum saevorum crimine agrestum
fleverit Icarium, Phrygia quam turre cadentem
Astyanacta parens.

Ariadna.

Fides (cf. Aegiala, Meliboea)

Stat. Silv. III 5, 48—51;

facilitate amorem adiuvandi Medea imitatur Ariadnam (cf. Hippodamia)

Val. Flacc. VII 284—287

si Pelopis duros prior Hippodamia labores
expediit, totque ora simul vulgata procorum
respiciens tandem patrios exhorruit axes,
si dedit ipsa neci fratrem Minoia virgo.

Aurora.

Luctum uxoris perfunctae nunquam desinet Abascantus (cf. Thetis, Nioba)

Stat. Silv. V 1, 33—36

. . . citius genetrix Sipyleia fertur
exhausisse genas citius Tithonida maesti
deficient rores aut exsatiata fatiscet
mater Achilleis hiemes adfrangere bustis;

praemium Stellae maius est quam illud quod Tithonus adeptus est (cf. Helena)

Stat. Silv. I 2, 43—45

nec si Dardania pastor temerarius Ida
sedisses, haec dona forent, nec si alma per auras
te potius pensa veheret Tithonia biga.

Charybdis.

Rabies Charybdis minor erat quam Deianirae

Sen. Herc. Oet. 235—236

Scylla et Charybdis Sicula contorquens freta
minus timendae, nulla non melior fera est;

pericula vorticum Illyricorum describuntur

Luc. Phars. IV 460—461

. . . contorti verticis undae
Tauromenitanam vincunt fervore Charybdim [1]).

Erigone.

Luctus (cf. Andromacha)

Stat. Silv. V 3, 74—77.

[1]) Cf. Sen. Herc. Oet. 235.

Eumenides.

Terror (cf. Mars, Gorgo)
Val. Flacc. Arg. III 53—55;

terrorem inicit omnibus Tiburna ad sepulcrum Murri accurrens
Sil. Pun. II 671—674

qualis, ubi inferni dirum tonat aula parentis,
iraque turbatos exercet regia manes,
Alecto solium ante dei sedemque tremendam
Tartareo est operata Iovi poenasque ministrat.

Fama.

Celeritas (cf. Mercurius, Iris)
Stat. Silv. V 1, 101—106.

Gorgo.

Terror (cf. Mars, Eumenides)
Val. Flacc. Arg. III 53—55.

Helena.

Impudicitia Cleopatrae rei publicae Romanae perniciem parat
Luc. Phars. X 60—61

. . . quantum impulit Argos
Iliacasque domos facie Spartana nocenti;

praemium (cf. Aurora)
Stat. Silv. I 2, 43—45.

Hippodamia.

Facilitas (cf. Ariadna)
Val. Flacc. Arg. VII 284—287.

Io.

Vagatio Medeae Iasoni metuentis depingitur
Val. Flacc. Arg. VII 111—114

qualis ubi extremas Io vaga sentit harenas
fertque refertque pedem, tumido quam cogit Erinys
ire mari, Phariaeque vocant trans aequora matres:
circuit haud aliter foribusque impendet apertis.

Ino.

Amor (cf. Acoetes, Chiron, Dictys, Phoenix, Acca)
Stat. Silv. II 1, 88—100;

horrore perfusa quasi torto furiarum flagello erecta prosilit Medea
Val. Flacc. Arg. VIII 21—22

. . . attonito qualis pede prosilit Ino
in freta, nec parvi meminit conterrita nati.

Iris.

Varii colores in flamma sacrificii enitescunt
Sen. Oed. 314—317

non una facies mobilis flammae fuit:
imbrifera qualis implicat varios sibi
Iris colores, parte quae magna poli
curvata picto nuntiat nimbos sinu;

celeritas (cf. Mercurius)
Stat. Silv. V 1, 101—106.

Leda.

Forma (cf. Hyacinthus, Hylas)
Stat. Silv. II 1, 110—113.

Maenas.

Furor (cf. Amazones)
Sen. Troad. 672—677;

furore amoris Medea huc atque illuc pedem fert[1])
Sen. Med. 382—386

incerta qualis entheos gressus tulit
cum iam recepto Maenas insanit deo
Pindi nivalis vertice aut Nysae iugis,
talis recursat huc et huc motu effero,
furoris ore signa lymphati gerens;

amoris stimulis agitata Deianira per domum fertur (cf. tigris)
Sen. Herc. Oet. 241—245

---

1) Cf. Val. Flacc. Arg. VIII 446 sub voce.

. . . feta ut Armenia iacens
sub rupe tigris hoste conspecto exilit
aut iussa thyrsum quatere conceptum ferens
Maenas Lyaeum, dubia quo gressus ferat
haesit parumper;

matrona quaedam a Phoebo excitata in urbem irrumpit

Luc. Phars. I 674—675

. . . nam qualis vertice Pindi
Edonis Ogygio decurrit plena Lyaeo;

desperatione et rabie furit uxor Hannibalis, quod Hanno eius filium immolare vult

Sil. Pun. IV 776 -777

Edonis ut Pangaea super trieteride mota
et iuga et inclusum suspirat pectore Bacchum;

Medea insane se gerit

Val. Flacc. VIII 446—448

. . . qualem Ogygias cum tollit in arces
Bacchus et Aoniis inlidit Thyiada truncis,
talis erat talemque iugis se virgo ferebat[1]);

gaudio mariti honoribus Priscilla exsultat

Stat. Silv. V 1, 113—116

. . Aonio non sic in vertice gaudet,
quam pater arcani praefecit hiatibus antri
Delius, aut primi cui ius venerabile thyrsi
Bacchus et attonitae tribuit vexilla catervae;

vagatio Medeae inter milites errantis cum Maenadibus comparatur

Val. Flacc. Arg. VI 755—756

ut fera Nyctelii paulum per sacra resistunt,
mox rapuere deum iam iam in quodcumque paratae;

horror tenet comites Iasonis

Val. Flacc. Arg. III 264—266

ceu pavet ad crines et tristia Pentheos ora
Thyias, ubi impulsae iam se deus agmine matris
abstulit et caesi vanescunt cornua tauri.

---

[1]) Verg. Aen. IV 300 confert Langenus.

Medea.

Furor (cf. Athamas, Ulixes, Procne)
Stat. Silv. II 1, 140—145;

Caesar Ptolemaeum manu tenet ea mente, ut, si arx expugnetur, rege occiso hostes ulciscatur

Luc. Phars. X 463—467

missurusque tuum, si non sint tela nec ignes,
in famulos, Ptolemaee, caput. sic barbara Colchis
creditur ultorem metuens regnique fugaeque
ense suo fratrisque simul cervice parata
expectasse patrem.

Meliboea.

Fides (cf. Aegiala, Ariadna, Penelopa)
Stat. Silv. III 5, 44—51.

Musa.

Cantus (cf. Orpheus)
Stat. Silv. V 1, 23—25.

Nioba.

Miseratio Alcmenae mortem filii lugentis cum Nioba confertur

Sen. Herc. Oet. 1849—1852

deriguit aliqua mater ut toto stetit
succisa fetu bisque septenos gregem
deplanxit una: gregibus aequari meus
quot ille poterat?

luctus (cf. Aurora, Thetis)
Stat. Silv. V 1, 33—36.

Penelopa.

Fides (cf. Aegiala, Ariadna, Meliboea)
Stat. Silv. III 5, 44—51;

fides (cf. Paris, Thyestes)
Stat. Silv. V 1, 55—59.

Philomela.

Cura (cf. Alcyone)
Stat. Silv. III 5, 57—59;

tristitia (cf. Procne)
Stat. Theb. VIII 616—618.

Procne.

Crudelitas (cf. Athamas, Ulixes, Medea)
Stat. Silv. II 1, 140—145;

tristitia affectae colloquuntur Oedipodis filiae (cf. Philomela)

Stat. Theb. VIII 616—619

sic Pandioniae repetunt ubi fida volucres
hospitia atque larem bruma pulsante relictum,
stantque super nidos veterisque exordia fati
adnarrant tectis;

obiurgatione crudelitatem et Creontis et legum Thebanarum Iuno castigat

Stat. Theb. XII 478—480

. . . Geticae non plura queruntur
hospitibus tectis trunco sermone volucres,
cum duplices thalamos et inicum Terea clamant.

Sirenes.

Cantus (cf. Orpheus)
Stat. Silv. II 1, 10—12.

Thetis.

Luctus (cf. Aurora, Nioba)
Stat. Silv. V 1, 33—36.

c) Hydra.

Magnitudo (cf. Iuno, Gigantes)
Sil. Pun. VI 181—184.

Phlegethon.

Aestus aquae et ignis comparatur
Sil. Pun. XIV 61—63

. . . fonte e Phlegethontis ut atro
flammarum exundat torrens piceaque procella
semiambusta rotat liquefactis saxa cavernis.

Styx.

Foeditas fontis apud Atrei regiam siti cum tristi Stygis unda confertur

Sen. Thyest. 665—667

fons stat sub umbra tristis et nigra niger
haeret palude; talis est dirae Stygis
deformis unda, quae facit caelo fidem.

Symplegades.

Interitus ultimis Pompei navibus paratur

Luc. Phars. II 715—719

ut, Pagasaea ratis peteret cum Phasidos undas,
Cyaneas tellus emisit in aequora cautes,
rapta puppe minor subducta est montibus Argo,
vanaque percussit pontum Symplegas inanem
et statura redit.

Tartarus.

Altitudo Alpium his versibus exprimitur

Sil. Pun. III 483—486

quantum Tartareus regni pallentis hiatus
ad manis imos atque atrae stagna paludis
a supera tellure patet, tam longa per auras
erigitur tellus.

Caput II.

Exempla et comparationes, quae excerpta sunt ex historia

a) Romanorum,

b) Graecorum,

c) barbarorum.

a) Acca.

Amor (cf. Acoetes, Chiron, Dictys, Phoenix, Ino)
Stat. Silv. II 1, 88—100.

Ascanius.

Ars (cf. Parthenopaeus, Troilus)
Stat. Silv. V 2, 118—124.

Brutus.

Metum maiorem morbus Rutilii Gallici toti civitati attulit quam Bruti mors (cf. Numa, Pompeius)

Stat. Silv. I 4, 41—42

non labente Numa timuit sic curia felix
Pompeio nec celsus eques nec femina Bruto.

Civile bellum.

Proelium:
inopinantes Argonautae socios aggrediuntur
Val. Flacc. Arg. VI 402—406

Romanas veluti saevissima cum legiones
Tisiphone regesque movet, quorum agmina pilis,
quorum aquilis utrimque micant, eademque parentis
rura colunt, idem lectos ex omnibus agris
miserat infelix non haec ad proelia Thybris.

Claudia, virgo Vestalis.

Pudor Violentillae cubitum euntis celebratur (cf. Lavinia, Rhea Silvia)

Stat. Silv. I 2, 242—246

. . . sic victa sopore doloso
Martia fluminea posuit latus Ilia ripa;
non talis niveos tinxit Lavinia vultus,
cum Turno spectante rubet; non Claudia talis
respexit populos mota iam virgo carina[1]).

Decius.

Devotionem suam gratam esse deis cupit Cato

Luc. Phars. II 306—308

o utinam caelique deis Erebique liceret
hoc caput in cunctas damnatum exponere poenas!
devotum hostiles Decium pressere catervae.

Lavinia.

Pudor (cf. Claudia virgo Vestalis, Rhea Silvia)

Stat. Silv. I 2, 242—246.

Marius.

Anceps fortuna:

Pompeius, quamquam apud Pharsalum victus in Asiam fugit, tamen se victoriam parturum esse sperat

Luc. Phars. VIII 266—270

. . . non omnis in arvis
Emathiis cecidi, nec sic mea fata premuntur,
ut nequeam relevare caput cladesque receptas
excutere. An Libycae Marium potuere ruinae
erigere in fasces et plenis reddere fastis;

triumphus Catonis, qui omnibus rebus egens exercitum per deserta ducit, maximus est (cf. Pompeius)

Luc. Phars. IX 598—600

hunc ego per Syrtes Libyaeque extrema triumphum
ducere maluerim, quam ter Capitolia curru
scandere Pompei.

---

[1]) Verg. Aen. XII 65 confert Luehrius.

Numa.

Metus (cf. Brutus, Pompeius)
Stat. Silv. I 4, 41—42.

Pompeius.

Metus (cf. Brutus, Numa)
Stat. Silv. I 4, 41—42;
triumphus (cf. Marius)
Luc. Phars. IX 598—600.

Rhea Silvia.

Pudor (cf. Claudia virgo Vestalis, Lavinia)
Stat. Silv. I 2, 242–246).

Sabinae.

Placatione uxoris (Iuliae) Pompeius et Caesar in gratiam redierunt
Luc. Phars. I 118
ut generos soceris mediae iunxere Sabinae.

Sibylla.

Senectus (cf. Nestor, Priamus)
Stat. Silv. I 4, 125—127;
concursus gentium ad audiendum patrem poetae erat maximus
Stat. Silv. V 3, 172—173
sic ad avernales scopulos et opaca Sibyllae
antra rogaturae veniebant undique gentes.

b) Ludi Isthmii.

Copia (cf. Oenomaus)
Stat. Theb. VI 253—254.

Ludi Olympii.

Vires corporis Phileti diligentissime exercebantur
Stat. Silv. II 6, 45—47
. . . talem Ledaeo gurgite pubem

educat Eurotas, teneri sic integer aevi
Elin adit primosque Iovi puer adprobat annos;

celeritate maxima currus vehuntur per castra
Sil. Pun. I 224

non Eleus eat campo ferventior axis;

Scipio minor campos percurrit
Sil. Pun. XV 208—213

praegreditur celeratque vias et corripit agmen
pernici rapidum cursu camposque fatigat.
sic, ubi prosiluit Pisaeo carcere praeceps,
non solum ante alios, sed enim, mirabile dictu,
ante suos it victor equus, currumque per auras
haud ulli durant visus aequare volantem.

c) Cretes.

Vires:
longissime telum iacit. Hippolytus (cf. Parthi, telum)
Sen. Phaed. 814—819

tam longe, dociles spicula figere,
non mittent gracilem Cretes harundinem.
aut si tela modo spargere Parthico
in caelum placeat, nulla sine alite
descendent, tepido viscere condita
praedam de mediis nubibus afferent.

Croesus.

Divitiae (cf. Midas)
Stat. Silv. I 3, 105;
Stat. Silv. II 2, 121.

Cyrus.

Magnitudo (cf. Agamemnon, Xerxes)
Luc. Phars. III 284—290;

dominatione gentes Asiae tenet Pompeius
Luc. Phars. VIII 226—229

arva super Cyri Chaldaeique ultima regni,
qua rapidus Ganges et qua Nysaeus Hydaspes
accedunt Pelago, Phoebi surgentis ab igne
iam proprior, quam Persis, eram.

Daci.

Perniciem parat sagittis veneno imbutis Hannibal hostibus (cf. telum)

Sil. Pun. I 324—326

Dacus ut armiferis Geticae telluris in oris,
spicula qui patrio gaudens acuisse veneno
fundit apud ripas inopina binominis Histri.

Parthi.

Vires (cf. Cretes, telum)

Sen. Phaed. 814—819.

Saitae.

Veneno serpentis citius homines necantur

Luc. Phars. IX 819—821

non tam veloci corrumpunt pocula leto,
stipite quae diro virgas mentita Sabaeas
toxica fatilegi carpunt matura Saitae.

Troiana classis.

Impetu ingentes copiae Hannibalis aequant Troianam classem

Sil. Pun. III 229—230

nec bellum raptis tam dirum mille carinis
acrius infremuit trepidumque exterruit orbem;

numerus immensus erat copiarum ad Cannas pugnantium

Sil. Pun. VIII 619—621

tantis agminibus Rhoeteo litore quondam
fervere, cum magnae Troiam invasere Mycenae,
mille rates vidit Leandrius Hellespontus.

Troianus equus.

Magnitudine equus Domitiani equum Troianum superat

Stat. Silv. I 1, 8—15

nunc age fama prior notum per saecula nomen
Dardanii miretur equi, cui vertice sacro
Didymon et caesis decrevit frondibus Ide:
hunc neque discissis cepissent Pergama muris

nec grege permixto pueri innuptaeque puellae
ipse nec Aeneas nec magnus duceret Hector!
adde quod ille nocens saevosque amplexus Achivos,
hunc mitis commendat eques.

Xerxes.

Robora catenis religata propugnaculi instar in mare importari iubet Caesar

Luc. Phars. II 672—677

talis fama canit tumidum super aequora Persen
constravisse vias, multum cum pontibus ausus
Europamque Asiae Sestonque admovit Abydo
incessitque fretum rapidi super Hellesponti
non eurum zephyrumque timens, cum vela ratesque
in medium deferret Athon;

magnitudo (cf. Agamemnon, Cyrus)

Luc. Phars. III 284—290.

Caput III.

Exempla et comparationes geographica.

Aetna.

Rabies:
stimulis amoris excitata est Deianira
Sen. Herc. Oet. 285—286

. . . quis ignis tantus caelum furit
ardentis Aetnae;

vapor (Typhoeus, Inarime)
Luc. Phars. V 97—101.

hoc ubi virgineo conceptum est pectore numen,
humanam feriens animam sonat oraque vatis
solvit, ceu Siculus flammis urgentibus Aetnam
undat apex, Campana fremens ceu saxa vaporat
conditus Inarimes aeterna mole Typhoeus [1];

insania amoris Phaedra stimulatur
Sen. Phaed. 101—103

. . . alitur et crescit malum
et ardet intus qualis Aetnaeo vapor
exundat antro;

timore eruptionis Aetnae non magis Siculi premuntur quam Caesariani a Pompeio circumventi
Luc. Phars. VI 293—295

non sic Aetnaeis habitans in vallibus horret
Encelado spirante notum, cum tota cavernas
egerit et torrens in campos defluit Aetna.

---

[1]) Hoc exemplum e Senecae Phaedra 101 sumptum esse Hosius putat.

Athos.

Magnitudo corporis cadentis cum Athone comparatur (cf. Eryx)
Val. Flacc. Arg. IV 321—322

. . . annosi veluti si decidat olim
pars Erycis vel totus Athos.

Atlas.

Magnitudine superat Scipio Hannonem (cf. Nilus, Oceanus, luna, sol)

Sil. Pun. XVI 35—37

ut Phoebe stellas, ut fratris lumina Phoeben
exsuperant montisque Atlas et flumina Nilus,
ut pater Oceanus Neptunia caerula vincit.

Bosporus.

Retentio navium et torpore maris et glacie efficitur
Luc. Phars. V 436—438

sic stat iners Scythicas astringens Bosporus undas,
cum glacie retinente fretum non impulit Hister,
immensumque gelu tegitur mare.

Bruttium.

Exiguitas spatii inter ripas medii tantilla est ut is, qui in altera ripa constitit, cum eo, qui in altera ripa stat, dextram coniungere possit (cf. Chalcis)

Stat. Silv. I 3, 31—33

. . . sic Chalcida fluctus
expellunt reflui, sic dissociata profundo
Bruttia Sicanium circumspicit ora Pelorum.

Calpe.

Firmitas:
neuter exercitus alteri cedit.
Sil. Pun. IX 317—320

nec magis aut Libyco protrudi Dardana nisu
avertive potest pubes, aut ordine pelli
fixa suo Sarrana manus, quam vellere sede
si coeptet Calpen impacto gurgite pontus;

saevitia (cf. Columnae Herculis)
Sil. Pun. V 395—399.

Chalcis.

Exiguitas (cf. Bruttium)
Stat. Silv. I 3, 31—33;
angusta est via navium ex portu Brundisii fugientium
Luc. Phars. II 710

artior Euboica, qua Chalcida verberat, unda.

Columnae Herculis.

Saevitia exercitus, cui Marcellus praeest, in hostes irrumpentis cum Euripo comparatur (cf. Euripus, Propontis)
Sil. Pun. XIV 143—147

Euboici non per scopulos illisa Caphareo
Euripi magis unda furit, pontumve sonantem
eicit angusto violentius ore Propontis;
nec fervet maiore fretum rapiturque tumultu
quod ferit Herculeas extremo sole columnas;

furore stimulatus Flaminius pugnat (cf. Calpe)
Sil. Pun. V 395—400

ceu pater Oceanus cum saeva Tethye Calpen
Herculeam ferit atque exesa in viscera montis
contortum pelagus latrantibus ingerit undis:
dant gemitum scopuli fractasque in rupibus undas
audit Tartessos latis distermina terris,
audit non parvo divisus gurgite Lixus[1]).

Eryx.

Molibus ne maximis quidem Caesar undas obstruere potest (cf. Gaurus)
Luc. Phars. II 665—668

ut maris Aegaei medias si celsus in undas
depellatur Eryx, nullae tamen aequore rupes
emineant, vel si convolso vertice Gaurus
decidat in fundum penitus stagnantis Averni;

---

[1]) Hom. Ξ 394 confert Wezelius.

firmitas beluae sagittis Herculis moveri non potest
Val. Flacc. Arg. II 522—523

. . . non illa magis quam sede movetur
magnus Eryx, deferre velint quem vallibus imbres;

magnitudo (cf. Athos)
Val. Flacc. Arg. IV 321—322.

Euripus.

Saevitia (cf. Columnae Herculis, Propontis)
Sil. Pun. XIV 143—147.

Gaurus.

Moles (cf. Eryx)
Luc. Phars. II 665—668.

Inarime.

Fragor:
tumultus pugnae longe sonitus refert (cf. Vesuvius)
Val. Flacc. Arg. III 208—209

ut magis Inarime, magis ut mugitor anhelat
Vesvius, attonitas acer cum suscitat urbes;

vapor (cf. Typhoeus, Aetna)
Luc. Phars. V 97—101.

Isthmus.

Diremptus:
ut Isthmus duo maria tempestatibus excitata pugna prohibet, ita Crassus vivus Caesarem et Pompeium
Luc. Phars. I 100—102.

. . . qualiter undas
qui secat et geminum gracilis male separat Isthmos
nec patitur conferre fretum [1]).

Leucas.

Gaudio exsultant milites aquam videntes

[1]) Hosius ann. Fleckeis. 145 (1892) p. 348 comparat Sen. Thyest. 111—114.

Stat. Theb. IV 811—814

. . . longusque virum super ora cucurrit
clamor ‚aquae'! sic Ambracii per litora ponti
nauticus in remis iuvenum monstrante magistro
fit sonus inque vicem contra percussa reclamat
terra.

Nesis.

Odor (cf. Typhoeus)
Luc. Phars. VI 89—92.

Nilus.

Magnitudo (cf. Atlas, Oceanus, luna, sol)
Sil. Pun. XVI 35—37.

Oceanus.

Magnitudo (cf. Atlas, Nilus, luna, sol)
Sil. Pun. XVI 35—37.

Padus.

Effusio exercitus cum flumine confertur
Luc. Phars. VI 272—278

sic pleno Padus ore tumens super aggere tutas
excurrit ripas et totos concutit agros,
succubuit si qua tellus cumulumque furentem
undarum non passa ruit, tum flumine toto
transit et ignotos aperit sibi gurgite campos;
illos terra fugit dominos, his rura colonis
accedunt donante Pado.

Parus.

Splendori marmoris candida cutis Hippolyti non cedit
Sen. Phaed. 797

lucebit Pario marmore clarius.

Pelorus.

Periculum — agger enim a Caesare factus est — non cognoscitur initio a Pompeio, qui longe abest (cf. Rutupiae)

Luc. Phars. VI 65—68

. . . veluti mediae qui tutus in arvis
Sicaniae rabidum nescit latrare Pelorum,
aut vaga cum Tethys Rutupinaque litora fervent,
unda Caledonios fallit turbata Britannos.

Polus.

Firmitas:

animus Iasonis impetu taurorum non percellitur

Val. Flacc. Arg. VII 560—563

. . . ut extremis desertus in orbibus axis,
quem iam lassa dies austrique ardentis harenae,
aut quem Rhipaeas extantem sursus ad arces
nix et caerulei Boreae ferus abstulit horror.

Propontis.

Saevitia (cf. columnae Herculis, Euripus)

Sil. Pun. XIV 143—147.

Rutupiae.

Periculum (cf. Pelorus)

Luc. Phars. VI 65—68.

Syrtes.

Caede multi homines pereunt

Val. Flacc. Arg. VI 410—412

non tam foeda virum Laurentibus agmina terris
eiecere noti, Libyco nec talis imago
litore, cum fractas involvunt aequora puppes;

vanitas spei Iasoni non minorem dolorem attulit quam nautae

Val. Flacc. Arg. VII 83—86

non ita Tyrrhenus stupet Ioniusque magister,
qui iam te, Tiberine, tuens clarumque serena
arce Pharon, praeceps raptus nusquam ostia, nusquam
Ausoniam videt, at saevas accedere Syrtes.

Thule.

Pugnae ratio, qua Masinissa utitur, est similis rationi incolarum Thulae

Sil. Pun. XVII 416—417

caerulus haud aliter, cum dimicat, incola Thyles
agmina falcigero circumvenit arta covinno.

Vesuvius.

Effusio Carthaginiensium confertur cum cineris sparsione

Sil. Pun. XVII 592—596

sic ubi vi caeca tandem devictus ad astra
evomuit pastos per saecula Vesbius ignes,
et pelago et terris fusa est Vulcania pestis,
videre Eoi, monstrum admirabile, Seres
lanigeros cinere Ausonio canescere lucos;

celeritate tanta avolant Harpyiae, quanta cinis aufertur

Val. Flacc. Arg. IV 507—509

sicut prorupti tonuit cum forte Vesevi
Hesperiae letalis apex, vixdum ignea montem
torsit hiemps iamque eoas cinis induit urbes;

fragor (cf. Inarime)

Val. Flacc. III 208—209.

Caput IV.

Exempla et comparationes e natura sumpta, quae attinent ad

a) animalia
   1. mammas praebentia,
   2. aves;

b) plantas;

c) alia, quae ad naturam pertinent.

a) 1.

Armenta.

Mediocritate aurea qui utitur evitat facile pericula (cf. arbor, ventus)

Sen. Ag. 90—100

vela secundis inflata notis
ventos nimium timuere suos,
nubibus ipsis inserta caput
turris pluvio vapulat Austro,
densasque nemus spargens umbras
annosa videt robora frangi;
feriunt celsos fulmina colles
corpora morbis maiora patent
et cum in pastus armenta vagos
vilia currant, placet in vulnus
maxima cervix.

Belua ponti.

Saevitia Neronis in hostes avide irrumpentis cum beluae fame cruciatae piscesque devorantis comparatur

Sil. Pun. XV 784—788

. . . rabidi ceu belua ponti,
per longum sterili ad pastus iactata profundo,
cum procul in fluctu piscem male saucia vidit,
aestuat et lustrans nantem sub gurgite praedam
absorbet late permixtum piscibus aequor.

Bestia.

rabies:

ut bestiae domitae cruore gustato efferantur, ita Petrei verbis animi militum iam placati sollicitantur

Luc. Phars. IV 237—242

sic ubi desuetae silvis in carcere cluso
mansuevere ferae et voltus posuere minaces
atque hominem didicere pati. si torrida parvus
venit in ora cruor, redeunt rabiesque furorque
admonitaeque tument gustato sanguine fauces;
fervet et a trepido vix abstinet ira magistro;

avidus caedis est Septimius

Luc. Phars. VIII 599—600

. . . nullaque ferarum
mitior in caedes;

furor (cf. Vulcanus)

Luc. Phars. X 445—448;

saevitia Hannibal par est bestiae

Sil. Pun. I 569

saucia dum castris clausa est fera;

irruptione se hostium telis obicit Aemilius Paulus

Sil. Pun. X 1—5

Paulus, ut adversam videt increbrescere pugnam,
ceu fera, quae telis circumcingentibus ultro
assilit in ferrum et per vulnera colligit hostem,
in medios fert arma globos seseque periclis
ingerit atque omni letum molitur ab ense;

caedes magna facta est pugna (cf. motus terrae)

Sil. Pun. XVI 102—104

. . . haud ullus terrarum aequarit hiatus

pugnarum damna; aut strages per inhospita lustra
unquam tot dederit rabies horrenda ferarum.

Canis.

Rabiem vix reprimere potest Atreus
Sen. Thyest. 497—503

sic, cum feras vestigat et longo sagax
loro tenetur Umber ac presso vias
scrutatur ore, dum procul lento suem
odore sentit, paret et tacito locum
rostro pererrat; praeda cum propior fuit
cervice tota pugnat et gemitu vocat
dominum morantem seque retinenti eripit;

persecutione hostis, qui per dolum se effugere posse sperat, Paulus non desistit

Sil. Pun X 77—82

ut canis occultos agitat cum Belgicus apros,
erroresque ferae sollers per divia mersa
nare legit tacitoque premens vestigia rostro
lustrat inaccessos, venantum indagine saltus
nec sistit, nisi conceptum sectatus odorem
deprendit spissis arcana cubilia dumis[1]).

Cervus.

Celeritas cursorum laudatur (cf. ventus)
Stat. Theb. VI 598—603

non aliter celeres Hyrcana per avia cervi,
cum procul impasti fremitum accepere leonis
sive putant, rapit attonitos fuga caeca metusque
congregat, et longum dant cornua mixta fragorem.
effugit hic oculos rapida puer ocior aura
Maenalius;

fuga iuvenis, quem Appius persequitur, vitam servare cupit (cf. lepus, columba)

---

[1]) Confer Sen. Thyest. 497—503; Wezelius confert Enn. ann. X 340—342.

Sil. Pun. V 280—284

. . . ceu tigride cerva
Hyrcana cum pressa tremit, vel territa pennas
colligit accipitrem cernens in nube columba,
aut dumis subit, albenti si sensit in aethra
librantem nisus aquilam, lepus[1];

forma necis non altera surgit et inter milites et inter cervos Val. Flacc. Arg. VI 420—422

quam cervos ubi non Umbro venator edaci,
non pinna petit, haerentes sed cornibus altis
invenit et caeca constrictos excipit ira.

Elephas.

Vivacitas Scaevae nullo vulnere frangi potest
Luc. Phars. VI 208—213

sic Libycus densis elephans oppressus ab armis
omne repercussum squalenti missile tergo
frangit et haerentis mota cute discutit hastas;
viscera tuta latent penitus, citraque cruorem
confixae stant tela ferae, tot facta sagittis
tot iaculis unam non explent volnera mortem.

Equus.

Incitatione maxima Curio Caesarem ad bellum celerrime suscipiendum movet

Luc. Phars. I 293—295

. . . quantum clamore iuvatur
Eleus sonipes, quamvis iam carcere clauso
immineat foribus pedibusque repagula laxet;

celeritate pedum adaequant Autololes equos (cf. amnis)
Sil. Pun. III 307—308

cui sonipes cursu, cui cesserit incitus amnis,
tanta fuga est;

cupiditate pugnandi diutius Lemni otiose moratus flagrat Iason
Val. Flacc. Arg. II 385—389

haud secus Aesonides monitis accensus amaris,

---

[1]) Confer Sen. Oed. 903—905.

quam bellator equus, longa quem frigida pace
terra iuvat, brevis in laevos piger angitur orbes,
frena tamen dominumque velit, si Martius aures
clamor et obliti rursus fragor impleat aeris[1]);

gaudio exsultat Adrastus animis virorum

Stat. Theb. X 228—233

vertice sic Pholoes volucrum nutritor equorum,
cum fetura gregem pecoroso vere novavit,
laetatur cernens hos montis in ardua niti,
hos innare vadis, certare parentibus illos;
tunc vacuo sub corde movet, quis in arma tubasque
natus, ad Eleas melior quis surgere palmas.

Leo.

Ferocia:

iuvencum rapit leo tauro, Astyanactem Ulixes matri

Sen. Troad. 794—799

fremitu leonis qualis audito tener
timidum iuvencus applicat matri latus,
at ille saevus matre summota leo
praedam minorem morsibus vastis tenens
frangit vehitque: talis e nostro sinu
te rapiet hostis;

frustra sex fratres in Hannibalem irruunt

Sil. Pun. X 124—127

haud secus ac Libyca fetam tellure leaenam
venator premit obsesso cum Maurus in antro,
invadunt rabidi iam dudum et inania tentant
nondum sat firmo catuli certamina dente[2]);

furibundus est Oedipus scelerato amore detecto

Sen. Oed. 919—920

qualis per arva Libycus insanit leo,
fulvam minaci fronte concutiens iubam;

trucem vultum gerit Astyanax moriens

---

[1]) Confer Apoll. Arg. III 1258—1260.

[2]) Confer Sen. Troad. 1093—1096.

Sen. Troad. 1093—1096

. . . qualis ingentis ferae
parvus tenerque fetus et nondum potens
saevire dente iam tamen tollit minas
morsusque inanes temptat atque animis tumet;

trigemini fratres alteri alteros aggrediuntur
Sil. Pun. IV 373—374

. . . ceu bella leones
inter se furibunda movent et murmure anhelo
squalentis campos ac longa mapalia complent;

investigatio leonis cum Hercule Hylam quaerente confertur
Val. Flacc. Arg. III 587—589

. . . velut refugi quem contigit improba Mauri
lancea sanguineus vasto leo murmure fertur
frangit et absentem vacuis sub dentibus hostem[1]);

fortitudo:
non iuvat Theseum facilis victoria
Stat. Theb. XII 739—740

sic iuvat exanimis proiectaque praeda canesque
degeneresque lupos: magnos alit ira leones;

caedes:
Atreus saevire in fratris filios non desinit
Sen. Thyest. 732—737

silva iubatus qualis Armenia leo
in caede multa victor armento incubat
(cruore rictus madidus et pulsa fame
non ponit iras: hinc et hinc tauros premens
vitulis minatur dente iam lasso piger),
non aliter Atreus saevit atque ira tumet;

mulieres Lemniae maritos inopinantes opprimunt
Stat. Theb. V 203—205

. . . non aliter Scythicos armenta per agros
Hyrcanae clausere leae, quas exigit ortu
prima fames, avidique implorant ubera nati;

---

[1]) Confer Verg. Aen. XII 4; Apoll. Arg. I 1243 adnotavit Langenus.

Atys viros ignobiles occidit
Stat. Theb. VIII 573—577

. . . sic Hyrcana leo Caspius umbra
nudus adhuc nulloque iubae flaventis honore
terribilis magnique etiamnum sanguinis insons,
haud procul a stabulis captat custode remoto
segne pecus teneraque famem consumit in agna;

innumerabiles Saguntini a Carthaginiensibus caesi sunt
Sil. Pun. II 683—691

ceu, stimulante fame, cum victor ovilia tandem
faucibus invasit siccis leo, mandit hianti
ore fremens imbelle pecus, patuloque redundat
gutture ructatus large cruor; incubat atris
semesae stragis cumulis, aut, murmure anhelo
infrendens, laceros inter spatiatur acervos.
late fusa iacent pecudes custosque Molossus
pastorumque cohors stabulique gregisque magister.
totaque vastatis disiecta mapalia tectis[1];

Iason stragem ingentem edit
Val. Flacc. Arg. VI 613—615

. . stabulis qualis leo saevit opimis
luxurians spargitque famem mutatque cruores,
sic neque parte ferox nec caede moratur in una
turbidus inque omnes pariter furit;

dolore summo Hercules cruciatur
Sen. Herc. Oet. 1642—1644

at ille, ut ingens nemore sub Nasamonio
aegro reclinis pectore immugit leo,
fertur;

audacia:

transgreditur Caesar sine ulla dubitatione Rubiconem
Luc. Phars. I 205—212

. . . sic ut squalentibus arvis
aestiferae Libyes viso leo comminus hoste
subsedit dubius, totam dum colligit iram:
mox ubi se saevae stimulavit verbere caudae.

---

[1]) Confer Sen. Thyest. 732—737.

erexitque iubas et vasto murmur hiatu
infremuit, tum, torta levis si lancea Mauri
haereat aut latum subeant venabula pectus,
per ferrum tanti securus volneris exit;

ignavia perterriti hostes, qui Catonem opprimunt, Paulum illi subvenientem fugiunt (cf. venatio)

Sil. Pun. X 18—24

. . . ut, laetus valle remota
cum capream venator agit fessamque propinquo
insequitur cursu et sperat iam tangere dextra,
si ferus adverso subitum se protulit antro
et stetit ante oculos frendens leo: deserit una
et color et sanguis et tela minora periclo
nec iam speratae cura est in pectore praedae;

ira accensus vultu minaci aspicit Mago Appium viribus excellentem

Sil. Pun. V 309—315

haud secus e specula praeceps delatus opaca
subsidens campo summissos contrahit artus,
cum vicina trucis conspexit cornua tauri,
quamvis longa fames stimulet, leo; nunc ferus alta
surgentis cervice toros, nunc torva sub hirta
lumina miratur fronte ac iam signa moventem
et sparsa pugnas meditantem spectat harena;

constantia summa vulnus letiferum fert Paulus

Sil. Pun. X 241—246

immanis ceu depulsis levioribus hastis
accepit leo cum tandem per pectora ferrum,
stat teli patiens media tremebundus harena
ac manante iubis rictuque et naribus unda
sanguinis, interdum languentia murmura torquens,
effundit patulo spumantem ex ore cruorem;

lamentatio Medeae cum leonis confertur (cf. lupus, vacca)

Val. Flacc. Arg. VIII 453— 457

. . . tunc tota querellis
egeritur questuque dies, eademque sub astris
sola movet, maestis veluti nox illa sonaret

plena lupis, quaterentque truces ieiuna leones
ora, vel orbatae traherent suspiria vaccae.

luctus Herculis Hylam quaerentis depingitur
Val. Flacc. Arg. III 737—738

non aliter gemitus quondam lea prolis ademptae
torva dedit;

Lepus.

Fuga (cf. cervus, columba)
Sil. Pun. V 280—284.

Lupus.

Audacia maxima neglegens catervam Thebanorum, qui regem tuentur, Eteoclem solum Oenei filius petit

Stat. Theb. VIII 691—694

. . . sic densa lupum iam nocte sub atra
arcet ab adprenso pastorum turba iuvenco;
improbus erigitur contra, nec cura vetantes
impetere: illum, illum, semel in quem venerat, urguet;

cautio (cf. pastor)
Sil. Pun. VII 126—130;

liberatio (cf. pastor)
Sil. Pun. VII 717—722;

obsessio:

circumvallant Thebani castra hostium

Stat. Theb. X 42—48

. . . rabidi sic agmine multo
sub noctem coiere lupi, quos omnibus agris
nil non ausa fames longo tenuavit hiatu:
iam stabula ipsa premunt, torquet spes inrita fauces,
balatusque tremens pinguesque ab ovilibus aurae;
quod superest, duris adfrangunt postibus ungues,
pectoraque et siccos minuunt in limine dentes;

lamentatio (cf. leo vacca,)
Val. Flacc. Arg. III 453—457.

Pardus.

Impetum in medios hostes Scaeva facit
Luc. Phars. VI 181—183
. . . non segnior extulit illum
saltus et in medias iecit super arma catervas,
quam per summa rapit celerem venabula pardum.

Sus.

Plaga circumclusus est Agamemnon
Sen. Ag. 892—896
at ille, ut altis hispidus silvis aper
cum casse vinctus temptat egressus tamen
artatque motu vincla et in cassum furit,
cupit fluentes undique et caecos sinus
disicere;

ferocia (cf. taurus, ursus)
Stat. Theb. VI 864—869;
Hannibal etsi proelio fessus, praesertim cum tela multorum hostium loricae adhaereant, aggredientibus acerrime resistit
Sil. Pun. I 421—425
fulmineus ceu Spartanis latratibus actus,
cum silvam occursu venantum perdidit, hirto
horrescit saetis dorso et postrema capessit
proelia canentem mandens aper ore cruorem
iamque gemens geminat contra venabula dentem.

Taurus.

Ferocia:
ut duo tauri, quorum ferocia iugo nondum domita est, vinculis aratri rescissis sulcos perturbant, ita Eteocles et Polynices invidia inflammati regnum appetentes rem publicam ad ultimum discrimen adducunt
Stat. Theb. I 131—136
sic ubi delectos per torva armenta iuvencos
agricola imposito sociare adfectat aratro,
illi indignantes, quis nondum vomere multo
ardua nodosos cervix descendit in armos,

in diversa trahunt atque aequis vincula laxant
viribus et vario confundunt limite sulcos;

Eteocles et Polynices pares viribus vicissim interficiunt Stat. Theb. IV 397—400

. . . similes video concurrere tauros;
idem ambobus honos unusque ab origine sanguis;
ardua conlatis obnixi cornua miscent
frontibus alternaque truces moriuntur in ira;

ferocia taurorum pugnantium cum Tydeo et Agylleo comparatur (cf. sus, ursus)

Stat. Theb. VI 864—869

non sic ductores gemini gregis horrida tauri
bella movent; medio coniunx stat candida prato
victorem expectans, rumpunt obnixa furentes
pectora, subdit amor stimulos et vulnera sanat:
fulmineo sic dente sues, sic hispida turpes
proelia villosis ineunt complexibus ursi;

laetitia summa elatus victor etsi vulneratus ad Argivos revertitur

Stat. Theb. III 330—335

. . . sic nota in pascua taurus
bellator redit, adverso cui colla suoque
sanguine proscissisque natant palearibus armi;
tunc quoque lassa tumet virtus multumque superbit
pectore despecto; vacua iacet hostis harena
turpe gemens crudosque vetat sentire labores;

laetitia victoriae exsultans Hercules ingreditur

Val. Flacc. Arg. II 546—549

. . . qualis per pascua victor
ingreditur, tum colla tumens, tum celsior armis
taurus, ubi adsueti pecoris stabula alta revisit
et patrium nemus et bello quos ultus amores [1]);

discessione Pompeius Caesari cedit

Luc. Phars. II 601—605

pulsus ut armentis primo certamine taurus

[1]) Verg. Georg. III 219 et Ov. Met. IX 46 confert Langenus.

silvarum secreta petit vacuosque per agros
exul in adversis explorat cornua truncis
nec redit in pastus, nisi cum cervice recepta
excussi placuere tori;

meditatio proelii occupat animum Hannibalis intra vallum morantis

Sil. Pun. XVI 4—10

abditus ut silva, stabulis cum cessit ademptis,
amisso taurus regno gregis avia clauso
molitur saltu certamina iamque feroci
mugitu nemora exterret perque ardua cursu
saxa ruit, sternit silvas rupesque lacessit
irato rabidus cornu, tremit omnis ab alto
prospectans scopulo pastor nova bella parantem;

gemitus Hesionae vinctae et a belua petitae ab Hercule auditur

Val. Flacc. Arg. II 458—461

qualiter, implevit gemitu cum taurus acerbo
avia, frangentem morsu super alta leonem
terga ferens, coit e sparso concita mapali
agrestum manus et caeco clamore coloni;

clamorem tollit Hercules, cum vestem sanguine Nessi saturatam induerit (cf. fulmen)

Sen. Herc. Oet. 797—801

. . . hinc caelum horrido
clamore complet: qualis impressa fugax
taurus bipenni volnus et telum ferens
delubra vasto trepida mugitu replet,
aut quale mundo fulmen emissum tonat;

domitus Cyanearum Iunoni et Minervae obtingit (cf. arator)

Val. Flacc. Arg. IV 682—685

. . . hic Iuno praecepsque ex aethere Pallas
insiliunt pariter scopulos: hunc nata coercet,
hunc coniunx Iovis; ut valido qui robore tauros
sub iuga et invito detorquet in ilia cornu;

reverentia omnium in Erginum gubernatorem est magna

Val. Flacc. Arg. V 67—69

ac velut ille, gregis cessit cui regia, taurus
fertur ovans; hunc omnis honos, hunc omnis in unum
transit amor[1];

dominationem Astyanactis futuram metuunt Achivi (cf. surculus, ignis)

Sen. Troad. 537—545

sic ille magni parvus armenti comes
primisque nondum cornibus findens cutem
cervice subito celsus et fronte arduus
gregem paternum ducit et pecori imperat;
quae tenera caeso virga de trunco stetit,
par ipsa matri tempore exiguo subit
umbrasque terris reddit et caelo nemus;
sic male relictus igne de magno cinis
vires resumit;

trucidatio fit ad aram Cassandrae

Sen. Ag. 776—777

caditque flexo qualis ante aras genu
cervice taurus vulnus incertum gerens;

Agamemnonem Clytaemestra occisura collum petit

Sen. Ag. 898—900

qualisque ad aras colla taurorum popa
designat oculis antequam ferro petat,
sic huc et illuc impiam librat manum.

Tigris.

Furor:

amore accensa Medea nescit, quo se conferat

Sen. Med. 862—865

huc fert pedes et illuc,
ut tigris orba natis
cursu furente lustrat
Gangeticum nemus;

(cf. Maenas)

Sen. Herc. Oet. 241—245;

---

[1]) Verg. Aen. III 228 confert Langenus.

haesitatio Atrei dubitantis, utrum prius mactet, describitur Sen. Thyest. 707—713

ieiuna silvis qualis in Gangeticis
inter iuvencos tigris erravit duos,
utriusque praedae cupida quo primum ferat
incerta morsus (flectit huc rictus suos,
illo reflectit et famem dubiam tenet),
sic durus Atreus capita devota impiae
speculatur irae;

indignatio Thiodamantis strage defatigati confertur cum tigride Stat. Theb. X 288—291

Caspia non aliter magnorum in strage invencum
tigris, ubi immenso rabies placata cruore
lassavitque genas et crasso sordida tabo
confudit maculas, spectat sua facta doletque[1];

a cupiditate caedis desistere non potest Pompeius Luc. Phars. I 327—329

utque ferae tigres nunquam posuere furorem
quas nemore Hyrcano, matrum dum lustra secuntur,
altus caesorum pavit cruor armentorum;

labor extremus Pauli morientis tigridi similis est Sil. Pun. X 293—295

. . . ceu vulnere tigris
letifero cedens tandem proiectaque corpus
luctatur morti et languentem pandit hiatum;

lamentatione deflet Menoecei mortem mater Stat. Theb. X 820—826

. . . sic aspera tigris
fetibus abreptis Scythico deserta sub antro
accubat et tepidi lambit vestigia saxi;
nusquam irae, sedit rabidi feritasque famesque
oris, eunt praeter secura armenta gregesque:
aspicit illa iacens; ubi enim, quibus ubera pascat
aut quos ingenti premat expectata rapina?

terror occupat mulieres audientes, quam crudelis animus Creontis sit

---

[1]) Confert Deipserus, diss. phil. Argent. V p. 134 Verg. Aen. IX 337—339.

Stat. Theb. XII 169—172
non secus adflavit molles si quando iuvencas
tigridis Hyrcanae ieiunum murmur, et ipse
auditu turbatus ager, timor omnibus ingens,
quae placeat, quos illa fames escendat in armos[1];
conspectu Hannibalis omnes fuga salutem petunt
Sil. Pun. IV 331—337
sic, ubi Caucaseis tigris se protulit antris,
linquuntur campi, et tutas petit omne latebras
turbatum insano vultu pecus; illa pererrat
desertas victrix vallis; iamque ora reducto
paulatim nudat rictu, ut praesentia mandens
corpora, et immani stragem meditatur hiatu;
celeritas:
cito Caesar Apuliam percurrit (cf. fulmen)
Luc. Phars. V 405—406
ocior et caeli flammis et tigride feta
transcurrit;
festinatione saeva incitatus Hannibal, quod Capuam oppugnari audit, Tarento in illud oppidum avolat
Sil. Pun. XII 458—462
haud secus, amisso tigris si concita fetu
emicet, attonitae paucis lustratur in horis
Caucasus et saltu tramittitur alite Ganges;
donec fulmineo partus vestigia cursu
colligat et rabiem prenso consumat in hoste[2];

Ursus.

Ferocia (cf. taurus, sus)
Stat. Theb. VI 864—869;
vulneratus furit Scaeva
Luc. Phars. VI 220—223
Pannonis haud aliter post ictum saevior ursa,
cum iaculum parva Libys amentavit habena,
se rotat in volnus, telumque irata receptum
impetit et secum fugientem circumit hastam;

---

[1]) Confer Sen. Thyest. 707—712.
[2]) Confer Sen. Med. 862—865.

impetus:
Mago et Adherbal ab utroque latere Allium opprimunt
Sil. Pun. IV 563–565

ut subigente fame diversis rupibus ursi
invadunt trepidum gemina inter proelia taurum
nec partem praedae patitur furor.

Vacca.

Luctu summo deflet uxor Lycurgi infantem mortuum
Stat. Theb. VI 186—192

non secus ac primo fraudatum lacte iuvencum,
cui trepidae vires et solus ab ubere sanguis,
seu fera seu duras avexit pastor ad aras;
nunc vallem spoliata parens, nunc flumina questu,
nunc armenta movet vacuosque interrogat agros;
tunc piget ire domum maestoque novissima campo
exit et oppositas impasta avertitur herbas[1]);

lamentatio (cf. leo, lupus)
Val. Flacc. Arg. VIII 453—457;

defensionem corporis Tydei Hippodamas suscipit
Stat. Theb. IX 115—119

. . . imbellem non sic amplexa iuvencum
infestante lupo tunc primum feta tuetur
mater et ancipiti circumfert cornua gyro;
ipsa nihil metuens sexusque oblita minoris
spumat et ingentesque imitatur femina tauros[2]).

a) 2.

Aquila.

Stimulatio:
senex filios Hannibalem petere iubet
Sil. Pun. X 108—111

armiger haud aliter magni Iovis, anxia nido
cum dignos nutrit gestanda ad fulmina fetus,

---

1) Confer Lucr. de rer. nat. II 355 sqq.
2) Hom. P 4 confert Eissfeldus.

obversam spectans ora ad Phaethontia prolem,
explorat dubios Phoebea lampade natos;

defensio Neapolis urbis ab Hannibale obsessae depingitur Sil. Pun. XII 55—59

haud secus, occuluit saxi quo vertice fetus
ales fulva Iovis, tacito si ad culmina nisu
evasit serpens terretque propinquus hiatu,
illa, hostem rostro atque assuetis fulmina ferre
unguibus incessens, nidi circumvolat orbem.

Avis.

Celeritate maxima via Domitiana currus vehi possunt Stat. Silv. IV 3, 38—39

non tensae volucrum per astra pennae
nec velocius ibitis, carinae;

celeritate avem vincit Nero (cf. fulmen, sagitta) Sil. Pun. XV 569—571

. . . et penna et fulmine et undis
hibernis et Achaemenio velocior arcu
evolat;

cito Asbyte curru vehitur Sil. Pun. II 170—172

obliquos detorquet equos laevumque per orbem
fallaci gyro campum secat ac velut ales
averso rapitur sinuata per aequora cursu;

laetitia manus revertentis animos Pelasgorum occupat Stat. Theb. X 458—462

. . . volucrum sic turba recentum
cum reducem longo prospexit in aere matrem,
ire cupit contra summique e margine nidi
extat hians, iamiamque cadat, ni pectore toto
obstet aperta parens et amantibus increpet alis;

multitudo:

confertae umbrae adveniunt (cf. flos, frondes, res maritimae) Sen. Oed. 600—607

non tot caducas educat frondes Eryx
nec vere flores Hybla tot medio creat,

cum examen arto nectitur densum globo,
fluctusque non tot frangit Ionium mare,
nec tanta gelidi Strymonis fugiens minas
permutat hiemes ales et caelum secans
tepente Nilo pensat Arctoas nives
quot ille populos vatis eduxit sonus[1];

permulti litui canunt (cf. flos, frondes, res maritimae)
Val. Flacc. Arg. VI 163—167

nec tot ab extremo fluctus agit aequore nec sic
fratribus adversa Boreas respondet ab unda,
aut is apud fluvios clamor volucrum, aethera quantus
tunc lituum concentus adit lymphataque miscet
miscet, quot foliis, quot floribus incipit annus[2];

cura maxima, ne incurrat in periculum, ad filium respicit Daedalus
Sen. Oed. 903—905

qualis accipitris minas
fugit et sparsos metu
conligit fetus avis;

fuga Saguntini Hannibale conspecto in urbem se recipiunt (cf. apis)
Sil. Pun. II 215—222

sicut agit levibus per sera crepuscula pennis
e pastu volucres ad nota cubilia vesper;
aut, ubi Cecropius formidine nubis aquosae
sparsa super flores examina tollit Hymettos,
ad dulcis ceras et odori corticis antra
mellis apes gravidae properant densoque volatu
raucum conexae glomerant ad limina murmur.
praecipitat metus attonitos caecique feruntur;

sectio:
scindit hasta pectus Caleni (cf. res maritimae)
Sil. Pun. XIII 238—243

tranavit, volucris liquidas ceu scinderet auras,
hasta viri pectus rupitque immania membra

[1]) Verg. Aen. X 265 adnotavit Hosius.
[2]) Hom. B 468, 782 confert Langenus.

quanta est vis agili per caerula summa Liburnae,
quae, pariter quotiens revocatae ad pectora tonsae
percussere fretum, ventis fugit ocior et se,
quam longa est, uno remorum praeterit ictu;

in periculo summo ii, qui in arbore iactata sedent, versantur
Sil. Pun. V 501—506

incumbunt sociae dextrae magnoque fragore
pulsa gemit crebris succumbens ictibus arbos.
fluctuat infelix concusso stipite turba,
ceu Zephyrus quatit antiquos ubi flamine lucos,
fronde super tremuli vix tota cacuminis haerens
iactatur nido pariter nutante volucris;

silentium fit
Val. Flacc. Arg. III 358—361

. . . tandemque quiescunt
dissona pervigili planctu vada, qualiter arctos
ad patrias avibus medio iam vere revectis
Memphis et aprici statio silet annua Nili;

terror fit tot lituis auditis
Val. Flacc. Arg. VI 505—506

quales instanti nimborum frigore maestae
succedunt ramis haerentque pavore volucres;

terror Medeae noctu a Venere per urbem ductae incidit
Val. Flacc. Arg. VII 375—379

qualis adhuc teneros supremum pallida fetus
mater ab excelso produxit in aera nido
hortaturque sequi brevibusque insurgere pinnis,
illos caerulei primus ferit horror Olympi,
iamque redire rogant adsuetaque quaeritur arbor[1]).

Columba.

Fuga (cf. cervus, lepus)
Sil. Pun. V 280—284;

[1]) Ov. Met. VIII 213 confert Langenus.

metu deterrita Medea in nemus procurrit
Val. Flacc. Arg VIII 32—34

ecce autem pavidae virgo de more columbae,
quae super ingenti circumdata praepetis umbra
in quemcunque tremens hominem cadit[1]).

Grus.

perturbatio navium fit
Luc. Phars. V 711—716

Strymona sic gelidum bruma pellente relinquunt
poturae te, Nile, grues primoque volatu
effingunt varias casu monstrante figuras;
mox ubi percussit tensas notus altior alas,
confusos temere inmixtae glomerantur in orbes,
et turbata perit dispersis littera pinnis[2]).

Meleagris.

Pulchritudo psittaci magna est (cf. pavus, phasianus)
Stat. Silv. II 4, 26—28

quem non gemmata volucris Iunonia cauda
vinceret aspectu, gelidi non Phasidis ales,
nec quas umenti Numidae rapuere sub austro.

Olor.

Agitatio occulta cum olore natanti comparatur
Sil. Pun. XIV 189—191

haud secus Eridani stagnis ripave Caystri
innatat albus olor pronoque immobile corpus
dat fluvio et pedibus tacitas eremigat undas.

Pavus.

Pulchritudo (cf. phasianus, meleagris)
Stat. Silv. II 4, 26—28.

Phasianus.

Pulchritudo (cf. pavus, meleagris)
Stat. Silv. II 4, 26—28.

[1]) Confer Ap. Arg. I 1049; Ov. pont. II 2, 37 confert Langenus.
[2]) Confer Sen. Oed. 604.

Vultur.

Celeritate maxima Thebani accurrunt ea mente, ut mortem Melanippi ulciscantur

Stat. Theb. IX 27

. . non aliter subtexunt astra catervae
incestarum avium, longe quibus aura nocentem
aera desertasque tulit sine funere mortes;
illo avidae cum voce ruunt, sonat arduus aether
plausibus, et caelo volucres cessere minores.

b) Abies.

Silentium Medeae et Iasonis describitur (cf. cupressus)

Val. Flacc. Arg. VII 403—406

haud secus in mediis noctis nemorisque tenebris
inciderant ambo attoniti iuxtaque subibant,
abietibus tacitis aut immotis cyparissis
adsimiles, rapidus nondum quas miscuit auster[1].

Aesculus.

Interitus:

pater cum sex filiis concidit (cf. quercus)

Sil. Pun. X 164—169

. . . ceu fulmine celsa
aesculus aut proavis ab origine cognita quercus
cum fumat percussa Iovi sacrosque per aevum
aetherio ramos populantur sulphure flammae,
donec victa deo late procumbit et omnem
collabens operit spatioso stipite prolem[2].

Arbor.

Senium:

arbor vere floret, sed bruma nuda est; feminae senescentis pulchritudo evanescit

Sen. Herc. Oet. 380—386

ut laeta silvas forma vernantes habet,
cum nemora nuda primus investit tepor,

---

[1]) Confert Harmandus Ap. Arg. III 966—970.

[2]) Hom. Ξ 414 confert Wezelius.

at cum solutos expulit Boreas notos
et saeva totas bruma discussit comas,
deforme solis aspicis truncis nemus:
sic nostra longum forma percurrens iter
deperdit aliquid semper;

mediocritas (cf. armenta, ventus)

Sen. Ag. 90—100;

clamor oritur cohortium tantus, quantus arborum vento agitatarum

Luc. Phars. I 389—391

quantus, piniferae boreas cum Thracius Ossae
rupibus incubuit, curvato robore pressae
fit sonus aut rursus redeuntis in aethera silvae;

caedes arborum securi, hostium Herculis clava fit

Val. Flacc. Arg. III 163—167

ac veluti magna iuvenum cum densa securi
silva labat cuneisque gemit grave robur adactis
iamque abies piceaeque ruunt sic dura sub ictu
ossa virum malaeque sonant sparsusque cerebro
albet ager.

neglegentia:

ut stirpes non putatae nullos fructus ferunt, ita pueri male educati saepe civitati utilitati non sunt

Stat. Silv. V 2, 68—70

quem non corrupit pubes effrena novaeque
libertas properata togae! ceu nescia falcis
silva comas tollit fructumque expirat in umbras;

multitudo:

ut densae sunt arbores in silva, hastae in Scaevae corpore haerent

Luc. Phars. VI 205

solus obit densamque ferens in pectore silvam;

libertas adulescenti et arbori favet (cf. seges)

Sen. Phaed. 455—460

seges illa magnum fenus agricolae dabit
quaecumque laetis tenera luxuriat satis,
arborque celso vertice evincet nemus
quam non maligna caedit aut resecat manus:

ingenia melius recta se in laudes ferunt,
si nobilem animum vegeta libertas alit.

Arista.

Fluctuationi aristarum vento agitatarum similis est acies Sil. Pun. IX 358—361

mitia ceu viridis agitant cum flamina culmos,
necdum maturas impellit ventus aristas,
huc atque huc it summa seges nutansque vicissim
alterno lente motu incurvata nitescit.

Crocus.

Sanguinis veneno permixti ex omnibus corporis partibus emanatio depingitur

Luc. Phars. IX 808—810

utque solet pariter totis se effundere signis
Corycii pressura croci, sic omnia membra
emisere simul rutilum pro sanguine virus.

Cupressus.

Celeritas:

non citius cupressus flammis corripitur, quam adulescens divino spiritu inflatur

Stat. Theb. X 674—676

fulminis haud citius radiis adflata cupressus
conbibit infestas et stirpe et vertice flammas
quam iuvenis multo possessus numine pectus;

silentium (cf. abies)

Val. Flacc. Arg. VII 403—406.

Flos.

Multitudo (cf. avis, frondes, res maritimae)

Sen. Oed. 600—607;

Val. Flacc. Arg. VI 163—167;

morte immatura absumitur uxor Claudii Etrusci (cf. lilium rosa)

Stat. Silv. III 3, 127—130

. . florentesque manu scidit Atropos annos;
qualia pallentes declinant lilia culmos
pubentesque rosae primos moriuntur ad austros
aut ubi verna novis expirat purpura pratis.

Frondes.

Multitudo (cf. avis, flos, res maritimae)
Sen. Oed. 600—607;
Val. Flacc. Arg. VI 163—167.

Lilium.

Senio evanescit pulchritudo corporis
Sen. Phaed. 764—772

non sic prata novo vere decentia
aestatis calidae despoliat vapor,
saevit solstitio cum medius dies
et noctes brevibus praecipitant rotis;
languescunt folio ut lilia pallido,
et gratae capiti deficiunt comae
et fulgor teneris qui radiat genis
momento rapitur nullaque non dies
formonsi spolium corporis abstulit;

mors (cf. flos, rosa)
Stat. Silv. III 3, 127—130;
inscientia:
innocens et imperita mali futuri Medea est
Val. Flacc. Arg. VI 492—494

lilia per vernos lucent velut alba colores
praecipue, quis vita brevis totusque parumper
floret honor fuscis et iam notus imminet alis.

Olea.

Mors praematura iuvenis cum olea comparatur
Val. Flacc. Arg. VI 707—716

ipse puer fracto pronum caput implicat arcu.
sanguine tunc atro chlamys ignea, sanguine vultus

et gravidae maduere comae, quas flore Sabaeo
nutrierat liquidoque parens signaverat auro.
qualem siquis aquis et fertilis ubere terrae
educat ac ventis oleam felicibus implet,
nec labor adsiduus, nec spes sua fallit alentem,
iamque videt primam tenero de vertice frondem;
cum subito immissis praeceps aquilonia nimbis
venit hiemps nigraque evulsam tendit harena[1];

Ornus.

Moles Herculis cadentis cum orno comparatur (cf. moles) Sen. Herc. fur. 1046—1048

. . . ad terram ruit,
ut caesa silvis ornus aut portum mari
datura moles.

Quercus.

Reverentia:

propter senectutem colitur Pompeius

Luc. Phars. I 136—143

qualis frugifero quercus sublimis in agro
exuvias veteris populi sacrataque gestans
dona ducum nec iam validis radicibus haerens
pondere fixa suo est, nudosque per aera ramos
effundens trunco, non frondibus efficit umbram;
et quamvis primo nutet casura sub euro
tot circum silvae firmo se robore tollant,
sola tamen colitur;

interitus (aesculus)

Sil. Pun. X 164.

Rosa.

Mors (cf. flos, lilium)

Stat. Silv. III 3, 127—130.

Seges.

Libertas (cf. arbor)

Sen. Phaed. 455—460.

---

[1]) Hom. P 53 adnotaverunt Gruenebergius et Langenus.

Surculus.

dominatio (cf. taurus, ignis)
Sen. Troad. 537—545.

Ulmus.

Communitas (interitus):
ut cadit ulmus vite vestita, ita corruit equus una cum equite (cf. vitis)
Stat. Theb. VIII 544—547

sic ulmus vitisque, duplex iactura colenti,
Gauramo de monte cadunt, sed maestior ulmus
quaerit utrumque nemus, nec tam sua bracchia labens
quam gemit adsuetas invitaque proterit uvas.

Vitis.

Communitas (interitus) (cf. ulmus)
Stat. Theb. VIII 544—547.

c) Amnis.

flexus Lethes fluminis cum Maeandro conferuntur
Sen. Herc. fur. 683—685

. . . qualis incertis vagus
Maeander undis ludit et cedit sibi
instatque dubius litus an fontem petat;

celeritas equorum laudatur
Stat. Theb. VI 407—408

amnibus hibernis minor est, minor impetus igni,
tardius e summo decurrunt flumina monte;

impetui subito consulis nemo resistere potest
Sil. Pun. IV 520—524

ut torrens celsi praeceps e vertice Pindi
cum sonitu ruit in campos magnoque fragore
avulsum montis volvit latus; obvia passim
armenta immanesque ferae silvaeque trahuntur;
spumea saxosis clamat convallibus unda;

celeritas (cf. equus)
Sil. Pun. III 307—308;

prorumpit ex portis exercitus
Sil. Pun. XII 186

improbus ut fractis exundat molibus amnis;

temere effuso cursu Syphax fertur
Sil. Pun. XVII 121—123

. . . ceu turbidus amnis,
qui silvas ac saxa trahens per devia praeceps
volvitur et ripas spumanti gurgite laxat;

furor Medeae propter fidem ab Iasone laesam cum amne comparatur (cf. ignis, ventus)
Sen. Med. 579—590

nulla vis flammae tumidive venti
tanta, nec teli metuenda torti,
quanta cum coniunx viduata taedis
ardet et odit;
non ubi hibernos nebulosus imbres
Auster advexit properatque torrens
Hister et iunctos vetat esse pontes
ac vagus errat.
non ubi impellit Rhodanus profundum,
aut ubi in rivos nivibus solutis
sole iam forti medioque vere
tabuit Haemus.

Apis.

Fuga (cf. avis)
Sil. Pun. II 217—222;

revocatione eloquentiae plena Cato efficit, ut naves ad litus revertantur

Luc. Phars. IX 284—292

haud aliter medio revocavit ab aequore puppes
quam simul effetas linquunt examina ceras
atque oblita favi non miscent nexibus alas,
sed sibi quaeque volat nec iam degustat amarum
desidiosa thymum: Phrygii sonus increpet aeris,
attonitae posuere fugam studiumque laboris
floriferi repetunt et sparsi mellis amorem;

gaudet in Hyblaeo securus gramine pastor
divitias servasse casae[1]);

stimulatione impellunt ad impetum contra hostes mulieres maritos

Stat. Theb. X 574—579

sic ubi pumiceo pastor rapturus ab antro
armatas erexit apes, fremit aspera nubes,
inque vicem sese stridore hortantur et omnes
hostis in ora volant, mox deficientibus alis
amplexae flavamque domum captivaque plangunt
mella laboratasque premunt ad pectora ceras[2]);

Aqua fervida.

Murmur:

rauca voce Hannibal fremit

Sil. Pun. V 605—606

ut multo accensis fervore exuberat undis,
clausus ubi exusto liquor indignatur aeno.

Arator.

Domitus (cf. taurus)

Val. Flacc. Arg. IV 682—685.

Arcas = Arctophylax.

Splendor:

floret praeter ceteros forma Iason (cf. Sirius, Iuppiter)

Val. Flacc. Arg. V 368—371

non secus, autumno quam cum magis asperat ignes
Sirius aut saevo cum nox accenditur auro
luciferas crinita faces, hebet Arcas et ingens
Iuppiter[3]).

Arctos.

Copia verberum comparatur cum copia grandinis, quae Arcto efficitur (cf. Capella)

---

[1]) Cf. Verg. Georg IV 64.

[2]) Hom. M 167 confert Eissfeldus.

[3]) Confer Ov. Met. II 496 et Hyg. astr. II 4 (Arctophylax).

Stat. Theb. VI 421—423

. . . densis insibilat aer
verberibus; gelida non crebrior exilit Arcto
grando, nec Oleniis manant tot cornibus imbres.

Caelum.

Serenitas:

ut ‚post nubila Phoebus', sic Argonautas periculo superato animus recipit

Val. Flacc. Arg. III 465—467

Iuppiter urgentem ceu summa Ceraunia nubem
cum pepulit movitque iugis, fulsere repente
et nemora et scopuli nitidusque reducitur aether;

splendor (cf. luna)

Sen. Herc. Oet. 238—239.

Capella.

Copia (cf. Arctos)

Stat. Theb. VI 421—423.

Cera.

Consumptio (cf. nives)

Luc. Phars. IX 781—782.

Cometes.

Splendore taetro perniciose fulgent oculi anguis

Sil. Pun. IX 444—445

fulgent sanguinei, geminum vibrare cometem
ut credas, oculi;

terrorem inicit hostibus crista Hannibalis

Sil. Pun. I 461—464

crine ut flammifero terret fera regna cometes,
sanguineum spargens ignem: vomit atra rubentis
fax caelo radios, ac saeva luce coruscum
scintillat sidus terrisque extrema minatur;

horribilis est Iason (cf. Sirius)

Val. Flacc. Arg. VI 607—608

acer ut autumni canis iratoque vocati
ab Iove fatales ad regna iniusta cometae[1]).

Ebur.

Candore admirabili est frons iuvenis (cf. margarita)
Sil. Pun. XII 229—231

quale micat semperque novum est, quod Tiburis aura
pascit, ebur, vel qui miro candoris honore
lucet in aure lapis rubris advectus ab undis.

Fulmen.

Celeritate equi Martis fulmen Iovis adaequant
Stat. Theb. III 316—318

. . . sic orsus aperto
flagrantes immisit equos, non ocius alti
in terras cadit ira Iovis;

celeritas (cf. tigris)
Luc. Phars. V 405—406;

celeritas (cf. avis, sagitta)
Sil. Pun. XV 569—571;

celeriter agendo perturbat omnes Caesar
Luc. Phars. I 151—154

qualiter expressum ventis per nubila fulmen
aetheris impulsi sonitu mundique fragore
emicuit rupitque diem populosque paventes
terruit obliqua praestringens lumina flamma;

fulgur simile est phalaricae praeustae
Sil. Pun. I 352—359

horrendum visu robur celsisque nivosae
Pyrenes trabs lecta iugis, cui plurima cuspis —
vix muris toleranda lues — sed cetera pingui
uncta pice atque atro circumlita sulphure fumant.
fulminis haec ritu summis e moenibus arcis
incita sulcatum tremula secat aera flamma
qualis sanguineo praestringit lumina crine
ad terram caelo decurrens ignea lampas;

---

1) Hom. E 5, M 26, Verg. Aen. X 270 confert Langenus.

eruptio duorum taurorum describitur (cf. ventus)
Val. Flacc. Arg. VII 567—571

ac velut ex una siquando nube corusci
ira Iovis torsit geminos mortalibus ignes,
aut duo cum pariter ruperunt vincula venti
dantque fugam, sic tunc claustris evasit uterque
taurus et immani proflavit turbine flammas;

crebritas:
ut Iuppiter persaepe fulminat, ita mens Iasonis gemitu crebro concutitur
Val. Flacc. Arg. V 304—311

qualiter ex alta cum Iuppiter arce coruscat,
Pliadas ille movens mixtumque sonoribus imbrem
horriferamque nivem, canis ubi tollitur omnis
campus aquis, aut sanguinei magna ostia belli:
sic tum diversis hinc atque hinc motibus anceps
pectora dux crebro gemitu quatit, optat et almum
iam iubar et certi tandem discriminis horas[1];

perniciem infert omnibus gentibus Alexander Magnus
Luc. Phars. X 34—36

terrarum fatale malum fulmenque, quod omnis
percuteret pariter populos, et sidus iniquum
gentibus.

Fumus.

Fragilitas vitae similis est nubi vento dispulsae (cf. ventus)
Sen. Troades 392—396

. . . ut calidis fumus ab ignibus
vanescit, spatium per breve sordidus,
ut nubes, gravidas quas modo vidimus,
arctoi Boreae disicit impetus:
sic hic, quo regimur, spiritus effluet.

Grando.

Fragor impetu exoritur (cf. tonitrus)
Stat. Theb. VIII 407—411

[1]) Hom. K 5 adnotaverunt Gruenebergius et Langenus.

. . . non tanta cadentibus Haedis
aeriam Rhodopen solida nive verberat Arctos,
nec fragor Ausoniae tantus, cum Iuppiter omni
arce tonat, tanta quatitur nec grandine Syrtis,
cum Libyae Boreas Italos niger attulit imbres;

terrorem inicit Poenis impetus consulis
Sil. Pun. V 384—388

sic ubi torrentem crepitanti grandine nimbum
illidit terris molitus Iuppiter altas
fulmine nunc Alpes, nunc mixta Ceraunia caelo —
intremuere simul tellus et pontus et aether,
ipsaque commoto quatiuntur Tartara mundo — ;

vanitas:
resiliunt tela a vineis
Luc. Phars. III 482—483

. . . ut grandine tecta
innocua percussa sonant.

Hesperus.

Splendore autecellit omnes Hippolytus (cf. Luna)
Sen. Phaed. 743—752

pulchrior tanto tua forma lucet,
clarior quanto micat orbe pleno
cum suos ignes coeunte cornu
iunxit et curru properante pernox
exerit vultus rubicunda Phoebe
nec tenent stellae faciem minores;
talis est primas referens tenebras
nuntius noctis modo lotus undis
Hesperus, pulsis iterum tenebris
Lucifer idem;

pallor:
ut nubibus obscuratur Hesperus, ita pallescit iuvenis moriens
Sil. Pun. XII 247—250

haud secus Oceano rediens Cythereius ignis,
cum sese Veneri iactat splendore refecto,
si subita invadat nubes, hebetatur et atris
decrescens tenebris languentia lumina condit.

Hyas et Plias.

Imbris instar bellaria cadunt in cenantes
Stat. Silv. I 6, 17—22

molles caseoli lucunculique
et massis Amerina non perustis
et mustaceus et latente palma
praegnates caryotides cadebant.
non tantis Hyas inserena nimbis
terras obruit aut soluta Plias.

Ichneumon.

Dolo perniciem parat hostibus Iuba
Luc. Phars. IV 724—729

Aspidas ut Pharias cauda sollertior hostis
ludit et iratas incerta provocat umbra
obliquusque caput vanas serpentis in auras
effusae tuto comprendit guttura morsu
letiferam citra saniem; tunc inrita pestis
exprimitur, faucesque fluunt pereunte veneno.

Ignis.

Casus:

celeriter corruunt arbores ad rogum construendum
Stat. Theb. VI 107—110

. . . non sic eversa feruntur
Ismara, cum fracto Boreas caput extulit antro,
non grassante Noto citius nocturna peregit
flamma nemus;

furor (cf. amnis, ventus)
Sen. Med. 579—590;

dominatio (cf. taurus, surculus)
Sen. Troad. 537—545;

pernicies omnibus Carthaginiensibus una pugna paratur
Sil. Pun. XVII 504—508

haud secus ac tectis urbis Vulcania pestis
cum sese infudit rapidusque incendia flatus
ventilat et volucris spargit per culmina flammas:

attonitum erumpit subita formidine vulgus,
lateque ut capta passim trepidatur in urbe;

elatio:

ad altum pulvis effertur

Luc. Phars. IX 460–462

. . . non altius ignis
rapta vehit, quantumque libet consurgere fumo
et violare diem, tantus tenet aera pulvis;

copia:

tot sunt tauri quorum cornibus sarcinae flagrantes alligatae sunt (cf. sidera)

Sil. Pun. VII 362—366

quam multa affixus caelo sub nocte serena
fluctibus e mediis sulcator navita ponti
astra videt; quam multa videt, fervoribus atris
cum Calabros urunt ad pinguia pabula saltus,
vertice Gargani residens incendia pastor;

flamma:

exardescunt turres in dorsis elephantorum exstructae

Sil. Pun. IX 605—608

non aliter Pindo Rhodopeve incendia pastor
cum iacit, et silvis spatiatur fervida pestis,
frondosi ignescunt scopuli subitoque per alta
collucet iuga dissultans Vulcanius ardor;

languor:

imbecilles sunt ictus senis

Sil. Pun. V 571—572

. . . stipula crepitabat inani
ignis iners cassamque dabat sine robore flammam.

Iuppiter (sidus).

Splendor (cf. Arcas, Sirius)

Val. Flacc. Arg. V 368–371.

Lacteus orbis.

Splendor (cf. sidera)

Val. Flacc. Arg. V 565.

Lapis.

Auctus:

ut lapis in aqua primum parvos, deinde maiores, tum maximos circulos format, ita primum pauci, tum plures, denique omnes milites Romam reverti constituunt

Sil. Pun. XIII 24—29

sic ubi perrupit stagnantem calculus undam,
exiguos format per prima volumina gyros,
mox tremulum vibrans motu gliscente liquorem
multiplicat crebros sinuati gurgitis orbes:
donec postremo laxatis circulus oris
contingat geminas patulo curvamine ripas.

Luna.

Splendor (cf. Hesperus)

Sen. Phaed. 743—752;

omnium virginum Medea pulcherrima est[1] (cf. sol)

Sen. Med. 93—98

haec cum femineo constitit in choro,
unius facies praenitet omnibus.
sic cum sole perit sidereus decor,
et densi latitant Pleiadum greges
cum Phoebe solidum lumine non suo
orbem circuitis cornibus alligat;

antecedit Scipio Hannoni (cf. Atlas, Nilus, Oceanus, sol)

Sil. Pun. XVI 35—37;

ita fulgent crines Hylae ut aequor luna collustratum (cf. sol)

Val. Flacc. Arg. III 558—559

stagna vaga ceu luce micant, ubi Cynthia caelo
prospicit aut medii transit rota candida Phoebi;

forma egregia est Iole (cf. sol)

Sen. Herc. Oet. 238— 239

et fulsit Iole qualis innubis dies
purisve clarum noctibus sidus micat.

---

[1]) Hor . carm. I 12, 46 confert Leo.

Margarita.

Candor (cf. ebur)
Sil. Pun. XII 229—231.

Maritimae res.

Iactatio corporis cum mari nondum tranquillo comparatur
Sen. Herc. fur. 1088—1091

. . . nec adhuc omnes
expulit aestus, sed ut ingenti
vexata noto servat longos
unda tumultus et iam vento
cessante tumet;

pernicies:
premit Herculem et Theseum Tartarus
Sen. Herc. fur. 676—677

ut saepe puppes aestus invitas rapit,
sic pronus aer urguet atque avidum chaos;

campus corporibus armisque obtectus est
Sil. Pun. X 321—325

sic Lagea ratis, vasto velut insula ponto
conspecta, illisit scopulis ubi nubifer Eurus,
naufragium spargens operit freta. iamque per undas
et transtra et mali laceroque aplustria velo
ac miseri fluitant revomentes aequora nautae;

furori se dat Clytaemestra
Sen. Ag. 143

. . . fluctibus dedimus ratem;

trucidantur permulti cives Sullae iussu (cf. ruina)
Luc. Phars. II 187—190

. . . sic mole ruinae
fracta sub ingenti miscentur pondere membra,
nec magis informes veniunt ad litora trunci,
qui medio periere freto;

ut gubernator turbido mari, ita Phaedra insania et amore in praeceps datur
Sen. Phaed. 181—184

sic cum gravatam navita adversa ratem

propellit unda, cedit in vanum labor
et victa prono puppis aufertur vado.
quid ratio possit? vicit ac regnat furor;

periculum metuens Thyestes ab introitu regiae repellitur
Sen. Thyest. 437—438

sic concitatam remige et velo ratem
aestus resistens remigi et velo refert;

timor:

Thyestes, quamquam est beatissimus, res tamen adversas praesentit
Sen. Thyest. 959—960

instat nautis fera tempestas,
cum sine vento tranquilla tument;

praesagium mortis Amphiarai describitur
Stat. Theb. VII 791—793

non aliter caeco nocturni turbine cori
scit peritura ratis, cum iam damnata sororis
igne Therapnaei fugerunt carbasa fratres;

praesagit Fabius bellum atrox et diuturnum
Sil. Pun. I 687—689

ut saepe e celsa grandaevus puppe magister
prospiciens signis venturum in carbasa corum
summo iam dudum substringit lintea malo;

praedicit Hanno saevitiam Hannibalis
Sil. Pun. II 289—291

ut, qui stelligero speculatur sidera caelo,
venturam pelagi rabiem caurique futura
praedicit miseris haud vanus flamina nautis;

difficultas:

quanto incommodo sit munus imperatoris optimi interfecti ad alium deferri hunc in modum describitur:
Stat. Theb. X 182—186

non secus amisso medium cum praeside puppis
fregit iter, subit ad vidui moderamina clavi
aut laterum custos, aut quem penes obvia ponto
prora fuit: stupet ipsa ratis tardeque secuntur
arma nec accedit domino tutela minori;

fuga se recipiunt cives ex urbe Roma, etsi in periculo nondum versatur

Luc. Phars. I 498—503

. . . qualis, cum turbidus auster
reppulit a Libycis immensum Syrtibus aequor
fractaque veliferi sonuerunt pondera mali,
desilit in fluctus deserta puppe magister
navitaque, et nondum sparsa compage carinae
naufragium sibi quisque facit;

fugit celerrime Torquatus

Luc. Phars. VI 285—287

Torquato ruit inde minax, qui Caesaris arma
segnius haud vidit, quam malo nauta tremente
omnia subducit Circaeae vela procellae;

Pompeius exercitum deserit

Luc. Phars. VII 125—127

. . . ut victus violento navita coro
dat regimen ventis ignavumque arte relicta
puppis onus trahitur;

constantia:

mutari non potest fortuna Caesaris, etsi veterani milites ab eo deficiunt

Luc. Phars. V 336—339

. . . veluti si cuncta minentur
flumina, quos miscent pelago, subducere fontes,
non magis ablatis umquam descenderit aequor,
quam nunc crescit, aquis;

ars (gubernandi):

Hippolytus egregie equos flectit

Sen. Phaed. 1072—1075

at ille, qualis turbido rector mari
ratem retentat, ne det obliquum latus,
et arte fluctum fallit, haud aliter citos
currus gubernat;

Pollux providentia servatur
Val. Flacc. Arg. IV 268—271

. . . spumanti qualis in alto
Pliade capta ratis, trepidi quam sola magistri
cura tenet, rapidum ventis certantibus aequor
intemerata secat[1];

quies post diuturnum bellum omnibus exoptata est
Sen. Thyest. 575—594

iam tacet stridor litui strepentis:
sic ubi ex alto tumuere fluctus
Bruttium coro feriente pontum,
Scylla pulsatis resonat cavernis
ac mare in portu timuere nautae
quod rapax haustum revomit Charybdis,
et ferus Cyclops metuit parentem
rupe ferventis residens in Aetnae,
ne superfusis violetur undis
ignis aeternis resonans caminis,
et putat mergi sua posse pauper
regna Laertes Ithaca tremente:
si suae ventis cecidere vires,
mitius stagno pelagus recumbit;
alta, quae navis timuit secare,
hinc et hinc fusis speciosa velis
strata ludenti patuere cumbae,
et vacat mersos numerare pisces
hic, ubi ingenti modo sub procella
Cyclades pontum timuere motae;

laeti sunt Romani, quod Hannibal saltem Italia excedit
Sil. Pun. XVII 207—211

. . . ceu flamina comprimit Auster
cum fera et abscedens reddit mare, navita parco
interea voto non auras poscit amicas,
contentus caruisse Noto pacemque quietam
pro facili cursu reputat satis;

---

[1]) Ap. Arg. II 70—73 confert Langenus.

aestus:
motum animi Deianira comprimere non potest
Sen. Herc. Oet. 710—712

ut fractus Austro pontus etiamnum tumet,
quamvis quiescat languidis ventis dies,
ita mens adhuc vexatur excusso metu;

strepitus accrescens exercitus appropinquantis cum undarum murmure comparatur
Sil. Pun. IX 281—285

sic ubi prima movent pelago certamina venti
inclusam rabiem ac sparsuras astra procellas
parturit unda freti fundoque emota minacis
expirat per saxa sonos atque acta cavernis
torquet anhelantem spumanti vertice pontum;

furorem continet rex
Val. Flacc. Arg. V 521—522

ceu tumet atque imo sub gurgite concipit austros
unda silens;

impetum facit taurus in Iasonem
Val. Flacc. Arg. VII 581—582

. . . aequora non sic
in scopulos irata ruunt eademque recedunt;

impetum repulsum Pompeius redintegrat
Luc. Phars. VI 263—267

non magis hac Magnus castrorum parte repulsus
intra claustra piger dilato Marte quievit,
quam mare lassatur, cum se tollentibus euris
frangentem fluctus scopulum ferit aut latus alti
montis adest seramque sibi parat unda ruinam;

celeritate maxima currus in via Domitiana vehuntur
Stat. Silv. IV 3, 103—106

tunc velocior acriorque cursus
tunc ipsos iuvat impetus iugales;
ceu fessis ubi remigum lacertis
primae carbasa ventilatis, aurae;

gemitus vatis cum fervido mari confertur
Luc. Phars. V 217—218

. . . sed ut tumidus Boreae post flamina pontus
rauca gemit, sic muta levant suspiria vatem;

flebilis vox mulieris cuiusdam auditur
Val. Flacc. Arg. II 452—453

. . . vox accidit aures
flebile succedens, ceu fracta remurmurat unda;

metus:
ut navita immensum mare, ita milites vastos montes perpetua glacie rigentes timent
Sil. Pun. III 532—539

. . . tanta formidine plana
exterrent repetita oculis; atque una pruinae
canentis, quacumque datur promittere visus
ingeritur facies. medio sic navita ponto,
cum dulcis liquit terras et inania nullos
inveniunt ventos securo carbasa malo,
immensas prospectat aquas ac victa profundis
aequoribus fessus renovat sua lumina caelo;

Hercules Hylae timet
Val. Flacc. Arg. III 577—579

. . . ceu pectora nautis
congelat hiberni vultus Iovis agricolisve,
cum coit umbra minax;

dubitatione ambigunt cives an non benigne excipiant Terentium Varronem consulem, propterea quod ex pugna Cannensi effugit
Sil. Pun. X 608—612

haud secus ac fractae rector si forte carinae
litoribus solus vacuis ex aequore sospes
adnatet, incerti trepidant, tendantne negentne
iactato dextras, ipsamque odere salutem
unius amissa superantis puppe magistri;

multitudo (cf. avis, flos, frondes)
Sen. Oed. 600—607;

sectio (cf. avis)
Sil. Pun. XIII 238 -243;

auctus:
levatur luce oriente animus Medeae (cf. imber)
Val. Flacc. Arg. VII 23—25

nec minus insomnem lux orta refecit amantem,
quam cum languentes levis erigit imber aristas,
gratave iam fessis descendunt flamina remis.

Mel.

Dulcedo vocis Glauciae describitur
Stat. Silv. II 1, 47—48

et mixtae risu lacrimae penitusque loquentis
Hyblaeis vox mixta favis?

Metalla.

Ruina:
desuper cadit in Tydeum hostis
Stat. Theb. VI 880—885

. . . haud aliter collis scrutator Hiberi
cum subiit longeque diem vitamque reliquit,
si tremuit suspensus ager subitumque fragorem
rupta dedit tellus, latet intus monte soluto
obrutus, ac penitus fractum obtritumque cadaver
indignantem animam propriis non reddidit astris.

Motus terrae.

Caedes (cf. bestia)
Sil. Pun. XVI 102—104.

Nimbus.

Obscuratio aetheris Harpyiis advolantibus fit
Val. Flacc. Arg. IV 452

deveniunt niger intorto ceu turbine nimbus.

Nives.

Consumptio:
ut venti tepidi nives perdunt, ita vestis sanguine Nessi saturata Herculis corpus perdit

Sen. Herc. Oet. 729—730

nives ut Eurus solvit aut tepidus Notus,
quas vere primo lucidus perdit Mimas;

nives ventis resolutae celeriter de montibus cadunt: cito morsu serpentis milites pereunt (cf. cera)

Luc. Phars. IX 781—782

. . . calido non ocius austro
nix resoluta cadit nec solem cera sequetur[1]);

umor genarum cum nive resoluta comparatur

Sen. Phaedra 381—383

lacrimae cadunt per ora et assiduo genae
rore irrigantur, qualiter Tauri iugis
tepido madescunt imbre percussae nives;

multitudine telorum navis obruitur

Stat. Theb. V 390—393

talis Hyperborea viridis nive verberat agros
Iuppiter; obruitur campis genus omne ferarum
deprensaeque cadunt volucres et messis amaro
strata gelu, fragor inde iugis, inde amnibus irae.

Ostrum.

Numerus (magnus):

multi oculi sunt Argo

Val. Flacc. Arg. IV 367—369

. . . custos Argus placet, inscia somni
lumina non aliter toto cui vertice, quam si
Lyda nurus sparso telas maculaverit ostro;

splendor:

candida cutis Medeae rubore perfusa a poeta describitur

Sen. Med. 99

ostro sic niveus puniceo color
perfusus rubuit.

Pastor.

Tristitiae plenus Maeon sociis a Tydeo occisis domum revertitur

---

[1]) Confer Sen. Herc. Oet. 729—733.

Stat. Theb. III 45—52

. . . haud aliter saltu devertitur orbus
pastor ab agrestum nocturna strage luporum,
cuius erile pecus silvis inopinus abegit
imber et hibernae ventosa cacumina lunae:
luce patent caedes; domino perferre recentes
ipse timet casus haustaque informis harena
questibus implet agros stabulique silentia magni
odit et amissos longo ciet ordine tauros;

ordo:

instruit exercitum Eteocles

Stat. Theb. VII 393—395

perspicuas sic luce fores et virgea pastor
claustra levat, dum terra recens, iubet ordine primo
ire duces, media stipantur plebe maritae;

perniciem parat Xanthippus Regulo

Sil. Pun. VI 329—331

haud secus ac stabulis procurans otia pastor
in foveam parco tectam velamine frondis
ducit nocte lupos positae balatibus agnae;

cautio:

retinet exercitum Fabius

Sil. Pun. VII 126—130

. . . ceu nocte sub atra
munitis pastor stabulis per ovilia clausum
impavidus somni servat pecus; effera saevit
atque impasta trucis ululatus turba luporum
exercet morsuque quatit restantia claustra;

Minucii ab Hannibale circumventi per Fabium liberatio depingitur

Sil. Pun. VII 717—722

ceu stimulante fame rapuit cum Martius agnum
averso pastore lupus fetumque trementem
ore tenet presso; tum, si vestigia cursu
auditis celeret balatibus obvia pastor,
iam sibimet metuens spirantem dentibus imis
reiectat praedam et vacuo fugit aeger hiatu;

salus (cf. Sirius)
Val. Flacc. Arg. I 682—685.

Piscator.

Insidias parat Hannibal exercitui Romano incluso
Sil. Pun. V 47—52

haud secus ac vitreas sollers piscator ad undas
ore levem patulo texens de vimine nassam
cautius interiora ligat mediamque per alvum
sensim castigans compressa cacumina nectit
ac fraude artati remeare foraminis arcet
introitu facilem, quem traxit ab aequore, piscem;

esca:
levibus pugnis Hannibal Minucium proelio lacessit
Sil. Pun. VII 500—503

non aliter quam qui sparsa per stagna profundi
evocat e liquidis piscem penetralibus esca,
cumque levem summa vidit iam nare sub unda
ducit sinuato captivum ad litora lino.

Saxum.

Repulsus verborum, quibus Phaedram nutrix mitigat, describitur
Sen. Phaed. 580—582

ut dura cautes undique intractabilis
resistit undis et lacessentes aquas
longe remittit, verba sic spernit mea;

casus lapidum cum scopulo ruente confertur
Sil. Pun. I 370—372

. . . Alpibus altis
aeriae rupes scopulorum mole revulsa
haud aliter scindunt resonanti fragmine montem;

magnitudo gigantis saxo similis est
Val. Flacc. Arg. IV 202—203

. . . instar scopuli, qui montibus altis
summus abit longeque iugo stat solus ab omni.

Serpens.

Saevitia:
graviter iratus Hannibal milites ex fuga retrahit
Sil. Pun. XVII 447—450

qualis in aestiferis Garamantum feta veneno
attollit campis ferventi pastus harena
colla Paraetonius serpens lateque per auras
undantem torquet perfundens nubila tabem;

cum hieme quievisset, Hannibal vere ineunte Campaniam depopulabatur
Sil. Pun. XII 6—10

. . . ceu condita bruma,
dum Rhiphaea rigent Aquilonis flamine, tandem
evolvit serpens arcano membra cubili
et spondente die novus emicat atque coruscum
fert caput et saniem sublatis faucibus efflat.

Sidera.

Ordo omnium rerum finitus est
Sen. Troad. 386—390

quo bis sena volant sidera turbine
quo cursu properat volvere saecula
astrorum dominus, quo properat modo
obliquis Hecate currere flexibus:
hoc omnes petimus fata;

pulchritudo Ioles celebratur
Sen. Herc. Oet. 238—239

et fulsit Iole qualis innubis dies
purisve clarum noctibus sidus micat;

splendor:
fulget vestis gemmis ornata
Sil. Pun. XV 676—677

ardebat gemma Garamantide caerula vestis,
ut cum sparsa micant stellarum lumina caelo;

via armis fulget ut stellis lacteus orbis (cf. lacteus orbis)
Val. Flacc. Arg. V 565

qualis ab Oceano nitidum chorus aethera vestit;

copia (cf. ignis)
Sil. Pun. VII 362—366.

Sirius.

Splendor:
floret praeter ceteros forma Iason
Val. Flacc. Arg. V 368—371

non secus autumno quam cum magis asperat ignes
Sirius aut saevo cum nox accenditur auro
luciferas crinita faces, hebet Arcas et ingens
Iuppiter;

terror (cf. cometes)
Val. Flacc. Arg. VI 607—608;

impetus vehemens exercituum describitur (cf. ventus)
Sil. Pun. XVI 96—100

concurrunt quantumque rapit violentia ponti
et Notus et Boreas et inexorabilis Auster,
cum mergunt plenas tumefacta sub aequora classes;
aut cum letiferos accendens Sirius ignes,
torret anhelantem saevis ardoribus orbem;

salutem petunt Argonautae a deis maritimis (cf. pastor)
Val. Flacc. Arg. I 682—685

. . . sic cum stabulis et messibus ingens
ira deum et Calabri populator Sirius arvi
incubuit, coit agrestum manus anxia priscum
in nemus et miseris dictat pia vota sacerdos [1]).

Sol.

Pallor Polyxenae cum sole occidente comparatur
Sen. Troad. 1140—1142

ut esse Phoebi dulcius lumen solet
iamiam cadentis, astra cum repetunt vices
premiturque dubius nocte vicina dies;

splendor (cf. luna)
Sen. Med. 93—98;

---

[1]) Confer Ap. Arg. III 956—958.

splendor solis orientis cum pulchritudine Medeae confertur.
Sen. Med. 100—101

. . . sic nitidum iubar
pastor luce nova roscidus aspicit;

splendor (cf. luna)
Sil. Pun. XVI 35—37;

splendor (cf. luna)
Val. Flacc. Arg. III 558—559.

Stella transvolans.

Celeritate maxima currit Iocasta (cf. ventus, sagitta)
Sen. Phoen. 428—432

sagitta qualis Parthica velox manu
excussa fertur, qualis insano ratis
premente vento rapitur aut qualis cadit
delapsa caelo stella, cum stringens polum
rectam citatis ignibus rumpit viam.

Tonitrus.

Fragor (cf. grando)
Stat. Theb. VIII 407—411;

tonitrus una cum fulmine:

fragore ingenti multa tela immittit Hannibal in hostes
Sil. Pun. XVII 474—478

ut cum fulminibus permixta tonitrua mundum
terrificant summique labat domus alta parentis;
omne hominum terris trepidat genus; ipsaque ob ora
lux atrox micat et praesens astare viritim
creditur intento perculsis Iuppiter igne.

Venatio.

In insidias incidunt Thyestes eiusque filii
Sen. Thyest. 491—493

plagis tenetur clausa dispositis fera:
et ipsum et una generis invisi indolem
iunctam parenti cerno;

infirmitas:

omnes Graeciae principes ab uno rege congregantur
Stat. Ach. I 459—466

. . . sic curva feras indago latentes
claudet et admotis paulatim canibus artat.
illae ignem sonitumque pavent diffusaque linquunt
avia miranturque suum decrescere montem,
donec in angustam ceciderunt undique vallem,
inque vicem stupuere greges socioque timore
mansuescunt; simul hirtus aper simul ursa lupusque
cogitur et captos contempsit cerva leones;

ignavia (cf. leo)
Sil. Pun. X 18—24;

retentio:

Octavius maiorem praedam sperans ancoras solvi vetat
Luc. Phars. IV 437—444

. . . sic dum pavidos formidine cervos
claudat odoratae metuentis aera pinnae
aut dum dispositis attollat retia varis,
venator tenet ora levis clamosa Molossi
Spartanos Cretasque ligat nec creditur ulli
silva cani, nisi qui presso vestigia rostro
colligit et praeda nescit latrare reperta
contentus tremulo monstrasse cubilia loro [1]);

praestantia sex fratres aggredientes Hannibal vincit
Sil. Pun. X 124—127

haud secus ac Libyca fetam tellure leaenam
venator premit obsesso cum Maurus in antro,
invadunt rabidi iam dudum et inania tentant
nondum sat firmo catuli certamina dente.

Ventus.

Furor (cf. amnis, ignis)
Sen. Med. 579—590;

[1]) Confer Sen. Thyest. 497—503; Sen. Phaed. 34—51 confert Hosius.

tempestas:

quamquam est malacia, mare tamen quasi tempestate maxima orta exaestuat

Sen. Phaed. 1011—1014

non tantus Auster Sicula disturbat freta
nec tam furens Ionius exsurgit sinus
regnante coro, saxa cum fluctu tremunt
et cana summum spuma Leucaten ferit;

copiae e portis prorumpentes cum tempestatibus conferuntur

Sil. Pun. XII 187—188

propulsum ut Borea scopulis impingitur aequor,
ut rupto terras invadunt carcere venti;

Marcellus Syracusas aggreditur

Sil. Pun. XIV 121—124

non aliter Boreas Rhodopes a vertice praeceps
cum sese immisit decimoque volumine pontum
expulit in terras, sequitur cum murmure molem
eiecti maris et stridentibus affremit alis;

furiosae beluae cauda mare excitatur

Val. Flacc. Arg. II 505—508

. . . non fluctibus aequis
nubiferi venit unda Noti, non Africus alto
tantus ovat patriisque manus cum plenus habenis
Orion bipedum flatu mare tollit equorum;

tempestati similis est rabies Medeae

Val. Flacc. Arg. VI 664—667

ac velut ante comas ac summa cacumina silvae
lenibus adludit flabris levis auster, at illum
protinus immanem miserae sensere carinae:
talis ad extremos agitur Medea furores;

atrocior erat nulla tempestas quam ingens Hannibalis exercitus

Sil. Pun. III 227—228

. . . non ulla nec unquam
saevior it trucibus tempestas acta procellis;

impetus:

ut tempestas in naves irruit, ita tela in Argivos coniciuntur

Stat. Theb. X 537—539

qualiter aut Malean aut alta Ceraunia supra
cessantes in nube sedent nigrisque locantur
collibus et subitae saliunt in vela procellae[1]);

similis procellae orienti Regulus hostes petit

Sil. Pun. VI 321—325

sic ubi nigrantem torquens stridentibus austris
portat turbo globum piceaque e nube ruinam
pendentem terris pariter pontoque minatur,
omnis et agricola et nemoroso vertice pastor
et pelago trepidat subductis navita velis;

belua undas impetu ingenti promovet

Val. Flacc. Arg. II 515—517

qualis ubi a gelidi Boreas convallibus Hebri
tollitur et volucres Rhipaea per ardua nubes
praecipitat;

impetus (cf. Sirius)

Sil. Pun. XVI 96—100;

eruptio (cf. fulmen)

Val. Flacc. Arg. VII 567—571;

terrorem inicit omnibus Hannibal, qui effusis habenis per campum advolat

Sil. Pun. I 468—472

talis ubi Aegaeo surgente ad sidera ponto
per longum vasto cori cum murmure fluctus
suspensum in terras portat mare, frigida nautis
corda tremunt; sonat ille procul flatuque tumescens
curvatis pavidas tramittit Cycladas undis;

fragilitas (cf. fumus)

Sen. Troad. 392—396;

perniciem molitur Scipio hostibus

Sil. Pun. IV 244—247

ceu Geticus Boreas, totum cum sustulit imo
Icarium fundo victor mare; navita vasto
iactatur sparsus lacerata classe profundo
cunctaque canenti perfunditur aequore Cyclas;

---

[1]) Hom. M 156 confert Eissfeldus.

celeritas (cf. sagitta, stella transvolans)
Sen. Phoen. 428—432

Hippolytus celerrime fugit
Sen. Phaed. 736—740

fugit insanae similis procellae
ocior nubes glomerante coro,
ocior cursum rapiente flamma
stella cum ventis agitata longos
porrigit ignes;

celeritas (cf. sagitta)
Sil. Pun. X 10—12

. . . velocius inde
Haemonio Borea pennaque citatior ibat,
quae redit in pugnas fugientis harundine Parthi;

celeriter currunt cursores (cf. cervus)
Stat. Theb. VI 598—603;

equi citissime currunt
Sil. Pun. III 292—293

hinc mille alipedes turmae — velocior Euris
et doctus virgae sonipes — in castra ruebant;

fama citius vento terras percurrit
Sil. Pun. IV 6

. . . volucrique citatior Euro;

ut ventus ex monte devolat, sic auriga se demittit in equos
Sil. Pun. XVI 384—385

. . . ceu monte procella
cum subito ex alto ruit;

mediocritas aurea nullum in se periculum habet
Sen. Oed. 8—11

ut alta ventos semper excipiunt iuga
rupemque saxis vasta dirimentem freta,
quamvis quieti verberat fluctus maris,
imperia sic excelsa Fortunae obiacent;

mediocritas aurea (cf. armenta, ventus)
Sen. Ag. 90—100;

rex semper periculis obiectus est
Sen. Herc. Oet. 649—651

quantos intus sublimis agit
fortuna metus! Bruttia coro
pulsante fretum lenior unda est;

pugna:
Medea pendet animi inter pietatem et iram
Sen. Med. 938—943

. . . nunc huc ira, nunc illuc amor
diducit? anceps aestus incertam rapit;
ut saeva rapidi bella cum venti gerunt
utrimque fluctus maria discordes agunt
dubiumque fervet pelagus, haud aliter meum
cor fluctuatur;

ut mare Ionium cum mari Aegaeo bellum gerit, ita quasi Italia Hispaniae bellum infert
Sil. Pun. XV 154—157

ut cum saeva fretis immisit proelia corus
Isthmon curvata sublime superiacit unda
et spumante ruens per saxa gementia fluctu
Ionium Aegaeo miscet mare[1]);

Clytaemestra insania aliisque animi affectibus perturbatur
Sen. Ag. 138—140

. . . fluctibus variis agor,
ut cum hinc profundum ventus, hinc aestus rapit,
incerta dubitat unda, cui cedat malo;

anceps est pugna
Sil. Pun. IV 321—323

hac pontum vice, ubi exercet discordia ventos,
fert Boreas Eurusque refert molemque profundi
nunc huc alterno nunc illuc flamine gestant[2]);

copiae ad pugnam currunt
Sil. Pun. VII 569—574

non graviore movent venti certamina mole
Odrysius Boreas et Syrtim tollere pollens

---

[1]) Confer Sen. Med. 938—943.
[2]) Confer Sen. Med. 938—943.

Africus: obnixi cum bella furentia torquent,
distraxere fretum ac diversa ad litora volvunt
aequor quisque suum; sequitur stridente procella
nunc huc nunc illuc raptum mare et intonat undis;

Argonautae cum Scythis pugnant
Val. Flacc. Arg. VI 352—357

arduus inde labos medioque in corpore pugna
conseritur. magno veluti cum turbine sese
ipsius Aeoliae frangunt in limine venti,
quem pelagi rabies, quem nubila quemque sequatur
illuvies: obnixa virum sic comminus haeret
pugna nec arrepto velli de corpore possunt;

remissio:
decedente pestilentia Marcellus exercitum convocat
Sil. Pun. XIV 623—624

ceu sidente Noto cum se maria alta reponunt,
propulsa invadit piscator caerula cumba;

multitudo (cf. avis, flos, frondes)
Val. Flacc. Arg. VI 163—167.

Caput V.

Alia exempla.

Curriculum equorum.

Gubernatio navis celebratur
Luc. Phars. VIII 199—201

. . . non sic moderator equorum,
dexteriore rota laevum cum circumit axem,
cogit inoffensae currus accedere metae;

impetu acri erumpit e portis Varro
Sil. Pun. VIII 279—283

. . . veluti cum carcere rupto
auriga indocilis totas effudit habenas
et praeceps trepida pendens in verbera planta
impar fertur equis; fumat male concitus axis
ac frena incerto fluitant discordia curru.

Familia.

Torpor:
ut aliquo morituro familia nondum magna voce lamentatur, sic populus oraculis deterritus bello civili oriente mutus est
Luc. Phars. II 21—28

. . . sic funere primo
attonitae tacuere domus, cum corpora nondum
conclamata iacent nec mater crine soluto
exigit ad saevos famularum bracchia planctus;
sed cum membra premit fugiente rigentia vita
voltusque exanimes oculosque in morte micantes
necdum est ille dolor, sed iam metus: incubat amens
miraturque malum;

cura:
marito optime consulit Priscilla
Stat. Silv. V 1, 122—126

. . . velut Apula coniunx
agricolae parci vel sole infecta Sabina,
quae videt emeriti iam prospectantibus astris
tempus adesse viri, propere mensasque torosque
instruit expectatque sonum redeuntis aratri[1];

amplexu tenaci sabulum Dido arripit
Sil. Pun. VIII 129

ceu cinerem orbatae pressant ad pectora matres;

praesagium:
interitum exercitus animo providet Paulus
Sil. Pun. IX 41—43

. . . ceu iam spe lucis adempta
cum stupet exanimata parens natique tepentis
nequiquam fovet extremis amplexibus artus;

preces Argonautarum, ut Tiphys convalescat, orantium describuntur
Val. Flacc. Arg. V 22—26

qualem praecipiti gravidum iam sorte parentem
natorum flet parva manus trepidique precantur,
duret ut invalidis et adhuc genitoris egenis:
haud aliter socii supremo in tempore Tiphyn
ante alios superesse volunt.

Finis mundi.

Metus:
ante pugnam apud Pharsalum factam nemo de sua vita, sed de Pompeio et de urbe timet
Luc. Phars. VII 134—138

. . . quis litora ponto
obruta, quis summis cernens in montibus aequor
aetheraque in terras deiecto sole cadentem,
tot rerum finem, timeat sibi? non vacat ullos
pro se ferre metus.

[1]) Hor. ep. II 41—46 confert Luehrius.

Fullonica.

Tractus:

huc atque illuc trahunt socii et hostes corpus Canthi, ut servi corium emolliendum

Val. Flacc. Arg. VI 358—360

ut bovis exuvias multo qui frangit olivo
dat famulis, tendunt illi tractuque vicissim
taurea terga domant, pingui fluit unguine tellus[1]).

Funda.

Celeritas Caesaris progredientis depingitur (cf. sagitta)

Luc. Phars. I 229—230

. . . it torto Balearis verbere fundae
ocior et missa Parthi post terga sagitta;

brevi Paulus veneno serpentis moritur (cf. sagitta)

Luc. Phars. IX 826—827

deprensum est, quae funda rotat, quam lenta volarent,
quam segnis Scythicae strideret harundinis aer.

Ruina.

Pernicies (cf. res maritimae)

Luc. Phars. II 187—190;

metus:

Minucii milites Fabii opera ab interitu vindicati vix oculos erigere audent

Sil. Pun. VII 727—729

ut qui collapsa pressi iacuere ruina,
eruta cum subito membra et nox atra recessit,
connivent solemque pavent agnoscere visu;

moles (cf. ornus)

Sen. Herc. fur. 1046—1048;

corruit Crixus

Sil. Pun. IV 295—299

haud aliter structo Tyrrhena ad litora saxo
pugnatura fretis subter caecisque procellis
pila immane sonans impingitur ardua ponto.
immugit Nereus divisaque caerula pulsu
illisum accipiunt irata sub aequora montem.

[1]) Hom. O 389 adnotaverunt Gruenebergius et Langenus.

Sagitta.

Celeritas:
domum pererrat Iocasta
Sen. Phoen. 427—429

vadit furenti similis aut etiam furit,
sagitta qualis Parthica velox manu
excussa fertur;

celeritas (cf. avis, fulmen)
Sil. Pun. XV 569—571;
celeritas (cf. funda)
Luc. Phars. I 229—230;
celeritas (cf. funda)
Luc. Phars. IX 826—827;
celeritas (cf. ventus)
Sil. Pun. X 10—12;
cursores a poeta laudibus efferuntur
Sil. Pun. XVI 480—481

. . . exiluere per auras
ocius effusis nervo exturbante sagittis.

Telum.

Vires (cf. Cretes, Parthi)
Sen. Phaed. 814—819;
vires:
altissime mittitur Lichas ab Hercule
Sen. Herc. Oet. 817—819

in astra missus fertur et nubes vago
spargit cruore; talis in caelum exilit
harundo Getica visa dimitti manu;

pernicies (cf. Daci)
Sil. Pun. I 324—326.

Turris.

Moles:
corruit telo percussus Capaneus
Stat. Theb. IX 554—556

. . . ruit haud alio quam celsa fragore
turris ubi innumeros penitus quassata per ictus
labitur effractamque aperit victoribus urbem.

Conspectus

rationum quae inter locos comparatos intercedunt:

Vita.

Natus sum **Fridericus Streich** a. d. VIII. Id. Nov. anni 1886 in urbe Silesiae quae Nissa vocatur patre Theophilo, matre Maria e gente Geruschka, quos ambos adhuc salvos esse magnopere gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis imbutus gymnasia Ratiboriense et Vratislaviense gymnasium Guilelmi Regis frequentavi. Vere anni 1907 maturitatis testimonium adeptus Vratislaviae per undecim semestria studiis philologicis et historicis incubui.

Hi viri doctissimi me docuerunt: Baumgartner, Cichorius, Foerster, Gercke, O. Hoffmann, Kampers, Kaufmann, Preuß, Skutsch †, Stern, Wendland, Ziegler.

Ad seminaria me admiserunt: Cichorius, Foerster, Kampers, Preuß, Skutsch †, Wendland.

Quibus omnibus gratias ago maximas, imprimis vero Francisco Skutsch, qui et ad hanc dissertationem conscribendam me invitaverit et opera consilioque benigne adiuverit. Quo viro doctissimo mortuo in opusculo perficiendo Konrato Ziegler permultum me debere grato animo confiteor.

Theses.

1. Immerito C. Cichorii de Catulli carm. IV commentationem (Festschrift für Hirschfeld, p. 481 sqq.) impugnasse puto Th. Birtium (Philologus 1904, p. 453 sqq.) ratum inscriptionis dedicatoriae instar hoc carmen a poeta compositum esse.
2. Theocr. VII 70 *αὔαισιν κυλίκεσσι* lectioni librorum manuscriptorum praefero nisus loco Tibulliano (III 6, 18 *pocula sicca*).
3. Aristoph. Pac. versui 42 magis convenire videtur *Καταιβάτου* (V R^2) quam *Σκαταιβάτου* (schol. et R^1, quem codicem Leeuwenus secutus est).
4. comburo: supervacaneum est hoc verbum dividere in co — amburo; immo ‚amb — uro‘ verbi limites videntur commoti esse: am — buro (ut demonstrat ‚bustum‘); et per analogiam hoc ‚*buro‘ cum ‚con‘ — compositum est, ut ‚comburo‘ appareret.